R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
166
NAPOLI

Racc. Villarosa A. 166.

517255

INSTITUTIONES

JURIS FEUDALIS

AB U. J. D. NICOLAO VALLETTA

IN REGIO NEAP. ARCHIGYMNAS. JURIS CIV. ORDIN. ANTECESS. ET ACADEM.

Brevi planaque methodo concinnatæ.

NEAPOLI MDCCLXXX.
EXCUDEBAT MICHAËL MORELLI.

PUBLICA AUCTORITATE.

Digitized by Google

Quid proſunt vanæ ſine moribus leges?

Horat.

EXCELLENTISSIMO, HUMANISSIMOQUE VIRO

AC BONIS LITTERIS EXPOLITO

JOANNI DOMINICO MARIÆ BERIO

PATRITIO GENUENSI

SALSÆ MARCHIONI

UTILIQUE DOMINO CIVITATIS MONTIS MARANI, NECNON VULTURARIÆ, AC PAROLISIS. &c. &c.

NICOLAUS VALLETTA

CUM Sapientia ſequiore ævo, ſub duro veluti cortice latuit, Feuda, eorumque Jura emerſere. Ita ad variam vivendi rationem, propter rerum humanarum viciſſitudines, Gentes reducuntur! Quantis autem tenebris feudales leges adhuc obſitæ ſint, tibi præ ceteris, EXCELLENTISSIME MARCHIO, perſpectum

eſt, qui inter alias diſciplinas, civilis hiſtoriæ difficillima probe calles monumenta. At vero pro adoleſcentium captu Inſtitutiones haſce breviter, & ὡς ἐν συνόψει, concinnavi, ut poſt earum ſtudium in latiſſimo Feudalis Juriſprudentiæ campo ii facilius poſſent ſpatiari. Quemadmodum vero parum habetur, ac rude eſt ædificium quoddam, niſi fuerit poſt conſtructionem ſplendida ornatum ſuppellectile; ita litterarium hoc opus per ſe impolitum, honeſtiſſimo nomine tuo illuſtratum, & nova luce affunditur, & acres invidiæ morſus vincit. Propterea ſimul ac animo agitare cœpi, cujus tutelæ, & gratiæ illud conſecratum irem, tibi non una de cauſa deberi judicavi. Feuda namque, de quorum Jure heic agitur, optima habes; in quibus fiduciarii clientes politioribus artibus alti, atque inutriti, tuis ſub auſpiciis, moratiores in diem evadunt. Præterea dubium eſt, an tu plus debeas humanioribus litteris, qui compoſitis commendaris moribus; an magis illæ tibi, quæ ob ſelectiſſimam Bibliothecam tuam, immenſis ferme libris refertiſſimam, necnon ob auram, ac patro-

trocinium , quo ſtudioſos foves , longe lateque promotæ ſunt: adeo ut noſtræ Regiæ ſcientiarum Academiæ Theſaurarii munus fuerit noviſſime tibi optimo jure demandatum . Tibi igitur , MARCHIO HUMANISSIME , meas Inſtitutiones, ipſo argumento ſplendidas , Scriptoris tamen opera tenues, ſiſto. Video equidem quam non facile hoc σχεδίασμα horis ſubceſivis, ac tumultuario ſtudio, uno pæne calami ductu exaratum, oculos tuos ſuſtineat. Futurum tamen confido, ut pro humanitate , quæ maxime te exornat, tamquam obſequii adverſus te mei monumentum, facili excipias vultu, ac fortiter tuearis . Vale. Datum Neap. Idib. Mart. CIϽIϽCCLXXX.

Digitized by Google

LECTORI.

DEſiderabantur ad hunc diem Elementa Juris Feudalis qua communis, qua patrii; atque adoloſcentes Juriſprudentiæ ſacris initiati ſæpenumero enixe a me non petebant ſolum, verum etiam flagitabant, ut quæ in adverſariis meis deliteſcebant, prælo committerem. Tandem eorum flagitatio vicit; & opus hocce, quod, ingenue fateor, non multa litura coërcuit, in litterariam ſcenam prodire paſſus ſum. Non deſunt quidem ſcriptores exteri, ac noſtrates, qui rem feudalem ſuis commentariis quammaxime illuſtrarunt; quorum omnium ſive intelligentiam, ſive diligentiam, noſtri Lycei decus, & Regalis Cameræ meritiſſimus Conſiliarius *Stephanus Patritius*, certe ſuperavit; qui virtute ſua oſtendit, vere dictum fuiſſe a Lipſio *de Magnit. Urb. Rom. II.* 10., quod Magiſtratus ſunt quædam animæ Regnorum, & Civitatum, ψυχαι των πολεων. Sed ii doctis potius ſcripſere. Juventutis ego commodo proſpexi; ac brevi, planaque methodo rem omnem diſponere ſaltem conatus ſui, ac veluti ingentem Iliada exiguam in nucem includere. Lucidus fortaſſe ordo haſce Inſtitutiones perſpicuas reddit. Nam quantum in omni diſciplinarum genere ad eas tam docendas, quam diſcendas interſit recta methodo uti, nemo eſt, qui per ſe non intelligat. Proinde Uſus Feudorum communes, ac de Regni feudis leges in ordinem quemdam digerere ſtudui; & quidem juxta ſyſtema Inſtitutionum Triboniani, cui adoloſcentes aſſueti ſunt. Inſuper legum feudalium loca nunc per numerales notas retuli, nunc per verba capitum initialia, prout vel brevitati, vel rei, de qua ſermo erat, opportunius videbatur. Auctores etiam laudavi, a quibus meliora ſelegi, ne ſua cuique laus deeſſet, neve de plagio poſtularer, uti eſt in Auſonianis hendecaſyllabis in Theonem falſum Poëtam, *Bonorum mala carminum Laverna.* Revera non ſemper nova dici poſſunt: nec propterea aranearum textus ideo melior, quia ex ſe fila eæ gignunt; nec roſcida mella viliora, quæ apes e floribus libant. Sæpe etiam non uno in loco de eadem re ediſſerui; quia

 ob

ob varios ejudem aſpectus diverſimode ſpectari poterat. Quandoque aliqua orationis excurſio eſt ad municipale Jus, quod a re feudali alienum videri poſſet, ſed reſpectu quodam cum ea congruere mihi viſum eſt. Quod ſi propoſitum mihi finem minus conſequi videar, conatus ſaltem in ardua re laudandus: aliiſque relinquo adumbrationem meam non inficere, ſed colorare. Fundamenta enim feudalis diſciplinæ jeci, & præcipua ex principiis conſectaria deduxi, ut arte Juris animi informarentur. Controverſias vero qui deſiderat uberiori calamo pertractatas, ad eoſdem, quos paſſim laudavi, auctores eum ablego; cum piaculum ego duxiſſem Inſtitutionum cancellos prætergredi. Si vero per adverſam, ac tenuiſſimam meam valetudinem licebit, *Quæſtionum Juris Feudalis* libros in poſterum publici juris faciam. Porro in ſcribendo ſimplicitatem ſequi malui. Nam mihi, Ciceroni adſtipulor, omne, quod de re bona dilucide dicitur, præclare dici videtur: iſtiuſmodi autem res dicere ornate velle, puerile eſt. Namque, ut ait ille, ornari res ipſa vetat, contenta doceri. Tandem iis, qui crepare ſolent, ſexcentis ferme elementariis libris, magnam partem ex alienis compilatis ſcriniis, rem litterarum publicam obrui, quique non propria, ſed aliena mente judicant, ac potius vulgi ſtupore, quam ſuo merito eruditi, carmina illa repono, quæ ſcripſit quidam Galliæ Juriſconſultus non ignobilis, quæque refert Ferdinandus Hommelius in ſua *Litteratura Juris cap.9.*

Edo breves libros: vitio mihi vertitis; atqui
Tu nullos, Publi; tu facis, Aule, malos.
Edo breves libros; nobis ſtudioſus Apollo
Perſpicua melius nil brevitate dedit.

Et ſemper mihi alte inſedit illud Plinii *Lib. II. Epiſt. 5. Quoties ad faſtidium legentium, deliciaſque reſpicio, intelligo, nobis commendationem etiam ex ipſa libri mediocritate petendam.* Hæc ſunt, Lector benevole, quæ te neſcire, ad mei inſtituti rationem quod attinet, pati non poteram. Bene vale.

PRÆ-

§. 1. Ordinis ratio. 1.
§. 2. Feudum definitur. 2.
§. 3. Definitio ſigillatim explicatur. 3.
§. 4. Quo primum tempore Feudi vox invaluerit. 8.
§. 5. Ejus etymologia; tum vocis allodii. 9.
§. 6. Feudi vox accipitur tripliciter. 13.
§. 7. Contractus feudalis nominatus, & ſtricti juris. 14.
§. 8. Differt Feudum ab emphyteuſi, & cenſu. 15.
§. 9. A bonis libellariis. 19.
§. 10. A precaria. 18.
§. 11. Et a jure ſuperficiei. 20.
§. 12. Multipliciter Feudum dividitur. 21.
§. 13. Feudum vel proprium, vel improprium. 21.
§. 14. Feuda propria dividuntur. Feudum eſt vetus, & novum. 23.
§. 15. Eccleſiaſticum, & ſæculare. 25.
§. 16. Nobile, & ignobile; quaternatum, & de tabula. 26.
§. 17. Ligium, & non ligium. 29.
§. 18. In curte, & extra curtem. 29.
§. 19. Feuda impropria, femininum, emtitium, pignoratitium, oblatum, & injuriatum. 30.
§. 20. Feudum in pecunia. 33.
§. 21. Feudum francum, conditionatum, guardiæ, gaſtaldiæ, aperturæ, & advocatiæ. 34.
§. 22. Mere hereditarium, ex pacto & providentia, alienabile, habitationis, ſoldatæ, de camera, & de cavena. 36.
§. 23. Feudorum origo non eſt a Romanis deſumenda. 41.
§. 24. Sed a veteribus Germaniæ Gentibus. 44.
§. 25. Origo Feudorum in Italia, & Neapolitano Regno. 46.
§. 26. Potiſſimæ cauſæ, ob quas Feuda inducta. 56.
§. 27. Jus Feudale commune. 62.
§. 28. Et Regni Neapolitani. 70.
§. 29. Juris Feudalis auctoritas; & qua ratione controverſiæ Feudales decidendæ. 72.
§. 30. Præcipui Juris Feudalis Interpretes. 76.

IN-

PARS PRIOR. DE PERSONIS

§. 31. Prima perſonarum diviſio in allodiales, & Feudales. 82.

CAP. I. *De Perſonis Feudum concedentibus.*

§. 32. Feudum conſtituit verus rei dominus. 82.
§. 33. Modo bonorum ſuorum legitimam adminiſtrationem habeat. 84.
§. 34. Sine ſexus diſcrimine. 86.
§. 35. Et tam Eccleſiaſticæ perſonæ. 87.
§. 36. Quam ſæculares; nimirum Regni Capitanei, Duces, Comites, Marchiones. 94.
§. 37. Quin privati quique patresfamilias. 100.
§. 38. Sed Jure noſtro Feudum dare nemo poteſt, niſi Princeps, ejuſve Vaſalli, cum ejus licentia. 102.

CAP. II. *De perſonis Feudum adquirentibus.*

§. 39. Vaſallorum appellationes. Tum qui omnes expreſſe prohibiti non ſunt, Feuda accipere poſſe, oſtenditur. 108.
§. 40. Cujuſcumque ſint ſexus. 112.
§. 41. Status. 113.
§. 42. Qualitatis. 115.
§. 43. Ætatis. 116.
§. 44. Conditionis. 117.
§. 45. Et Procuratores. 119.
§. 46. Qui Feudis indigni. 120.

CAP. III. *De ſervis, Adſcriptitiis, atque Hominibus Feudi.*

§. 47. Altera generalis perſonarum diviſio, nempe ſui, & alieni juris. 121.
§. 48. Hominum diviſio in liberos, & ſervos; ingenuos, & libertinos. 121.

§. 49.

§. 49. Quinam adſcriptitii; & recomandati veteres. 124.
§. 50. Hominum liberorum diviſio in eos, qui Regi, & qui Baronibus immediate ſubſunt. 126.
§. 51. Feudalis Baronum jurisdictio in homines Feudi. 129.
§. 52. De Officialibus Baronum. 135.
§. 53. Homines Feudi præſtare pecuniaria adjumenta Baroni tenentur. 142.
§. 54. Tum angarias, & parangarias. 160.
§. 55. Et onera quædam ex ipſa re feudali manantia. 163.
§. 56. Sed nihil præter inveſtituram: hinc nonnulla jura Baronibus denegantur. 164.

CAP. IV. *De filiisfamilias; ubi de Nuptiis Vaſallorum.*

§. 57. Quid de vetitis filiorumfamilias ſine patris conſenſu contractibus, nuptiis, ac teſtamenti factione, patrio Jure cautum ſit, obiter explicatur. 166.
§. 58. Baronum nuptiæ cum Regis conſenſu ineundæ. 174.
§. 59. Quid in Jure Feudali matrimonium ad morganaticam. 177.

CAP. V. *De minoribus, & Baliatu.*

§. 60. Ætas minor. 182.
§. 61. In integrum reſtitutio minoribus competit. 185.
§. 62. Minores feudatarii Baliis ſubſunt. 187.
§. 63. Et mulieres olim Mundualdis ſuberant. 193.

INSTITUTIONUM JURIS FEUDALIS

PARS ALTERA. DE REBUS.

§. 64. Ordinis ratio. 199.

CAP.

§. 82. Inveſtitura ſimultanea . 271.
§. 83. Tempus ad petendam inveſtituram præfinitum. 272.
§. 84. Inveſtiro vacua poſſeſſio præciſe tradenda. 274.
§. 85. Inveſtitura nobilis; ac ignobilis quæ ſit: præcipue quæ ſit a Baronibus in perſona ſubfeudatariorum. Obiter de excadentialibus, & demanialibus Feudi. 277.
§. 86. Feudorum Regni Neapolitani inveſtitura quomodo fiat. 283.

CAP. III. *De Præſcriptione Feudi* .

§. 87. Quotupliciter præſcriptio in Feudis locum habere poſſit. 285.
§. 88. Ut Feudum præſcriptione adquiratur, requiritur rei, tamquam feudalis, continuata poſſeſſio. 288.
§. 89. Tempus legitimum. 289.
§. 90. Bona fides. 291.
§. 91. Servitii præſtatio, vel ſaltem exhibitio. 291.
§. 92. Titulus. 292.
§. 93. Regalibus an præſcribatur. 293.
§. 94. Quæ ex Regni Jure de uſucapionibus, & præſcriptionibus cauta ſunt, explicantur. 294.

CAP. IV. *De ſucceſſione Feudali.*

§. 95. Hujus capitis ordo. 300.
§. 96. Quid Feudatarii ſupremo judicio circa Feuda diſponere poſſint. 301.
§. 97. De ſucceſſione deſcendentium in Feudis; ubi de vita, & militia; nec non de dote de paragio; ac dotario ſuper Feudis conſtituendo. 317.
§. 98. De ſucceſſione collateralium in Feudis. 351.
§. 99. De ſucceſſione aſcendentium. 366.
§. 100. Qui ad feuda ſuccedere non poſſunt. 369.
§. 101. De Feudorum reſutatione. 372.

CAP. V. *De Feudorum alienatione, hypotheca, ac Regio aſſenſu impetrando.*

§.102. Qui Feudum ſine domini directi aſſenſu alienat, nihil agit, & Feudo privatur. 375.
§.103. Tacita hypotheca ſuper Feudis quæ ſit. 380.
§.104. Et expreſſa. 384.
§.105. Regii aſſenſus clauſulæ; ejuſque interpretandi ratio. 386.
§.106. Feuda alienata revocantur ob non obtentum aſſenſum. 389.
§.107. Aſſenſus poſt alienantis mortem impetrari nequit. 391.
§.108. Aſſenſus regeſtatio. 393.
§.109. Quodnam jus habet Vaſallus in Feudo; ubi de ſubfeudis. 395.

CAP. VI. *De oneribus feudalibus, adoha, & relevio.*

§.110. Adohæ origo, & quantitas. 401.
§.111. Relevii, ac juris tapeti. 406.

CAP. VII. *Quibus modis feudum amittitur.*

§.112. Feudum quando amittitur Vaſalli morte. 414.
§.113. Rei interitu; ac alienatione. 415.
§.114. Conſolidatione. 416.
§.115. Tum amittitur Feudum, ſi Inveſtitura non petatur. 416.
§.116. Si Vaſallus Feudo male utatur. 417.
§.117. Si neget ſe Vaſallum eſſe. 417.
§.118. Si ingratus erga Dominum fuerit. 418.
§.119. Si parricidium patraverit. 418.
§.120. De delictis feudalibus diſtinctius agitur. 420.
§.121. Feudum amiſſum cuinam pertinet. Et quæ Feudi devolutio? 422.
§.122. Quid juris de Feudi meliorationibus. 426.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS FEUDALIS

PARS TERTIA

§.123. Ordinis ratio. 428.

CAP. I. *De actionibus feudalibus.*

§.124. Actiones, quæ feudi nomine Vaſallo competunt, feudo nondum conſtituto. 428.
§.125. Quæ Vaſallo competunt, jam conſtituto feudo. 429.
§.126. Actiones, quæ Domino competunt. 431.

CAP. II. *De feudali judicio.*

§.127. Judex competens. 434.
§.128. Ex noſtro Jure Municipali. 437.
§.129. De modo actiones Feudi nomine competentes, proponendi, & exercendi. 439.
§.130. Probationes in cauſis feudalibus. 422.
§.131. Sententia definitiva, ejuſque exequutio. 425.

PRÆNOTIONES FEUDALES

§. I. *Ordinis ratio*.

Juris, quo Feuda reguntur, mihi Inſtitutiones tradituro operæ pretium videtur in anteceſſum nonnulla exponere, quæ ad ipſum facilius intelligendum veluti ſternunt viam. Nimirum definitione, etymo, diviſione, atque origine prius Feudorum perſpecta, eorum leges qua communes, qua patriæ, dilucidius innoteſcant, neceſſe eſt. Interim re, quam auſpicor, vix præſtantior alia; tam ſi nobiliſſimi dignitas argumenti, quam ſi utilitatis ubertas ſpectetur. Sed & vix alia difficilior, implicatiorque eſt, tum ob ſequioris ævi obſcuritatem, a quo Feudorum inſtitutio, legeſque repetendæ; tum ob earum viciſſitudines. Præſertim, quod in ampliſſimo hoc Regno, multiplici Feudorum ordine referto, ob frequentiſſimas, arduaſque

de re Feudali diſputationes quotidie perſonat Forum. Verum age: omni præciſa mora, quæ generatim ſcitu digna ſunt, naturam, eſſentiamque Feudi, diviſiones, originem, Juris denique Feudalis Collectiones, atque auctoritatem, quasi in nucleo, in hiſce Prænotionibus exhibeamus; ne ad Feudalium legum vim, poteſtatemque adſequendam, accedamus imparati.

§. 2. *Feudum definitur.*

A Feudi definitione exordiamur: Ita enim & in quo potiſſimum Feudalis diſciplina verſetur, & quæ inde diſputabimus, liquidum erit cognoſcere. Variæ ſane vulgo afferri ſolent Feudi definitiones. Eas præ ceteris recenſent *Vultej. I. 2. Claudius Seyſellus in ſpeculo feudorum tit. de definitione, & inventione Feudi. Henric. Bocer. in tract. de qualit. & different. Feud. cap.* 1. *Goedd. in Diſp. Feud.* 1. *th.* 14. Mihi, aliis miſſis, huic inhærere placet. Feudum eſt *jus alieno prædio in perpetuum certo modo utendi fruendi, quod pro beneficio Dominus ea lege dat, ut qui accipit, ſibi fidem, officia, militiæ munus, aliudve ſervitium exhibeat.*

§. 3.

§. 3. *Definitio ſigillatim explicatur*.

Jus eſt; nimirum uſusfructus. *Feud.II. tit.*23. Non eſt autem hic uſusfructus idem in ſpecie, ac qui rerum allodialium; ſed in genere tantum, & *quidam* uſusfructus, uti optime *Carpzov. in Synopſ. Jur. Feud. Diſp.* 1. §. 31. Cum enim uſusfructus regulariter cum uſusfructuarii perſona extinguatur; & præterea in rebus etiam mobilibus conſiſtere queat, ab eo idcirco proprie Feudum differt. Adhæc, Vaſallus fundi, ac ſervitutum vindicationem habet ob utile dominium; *Feud.II. tit.*8. & *tit.*43. non habet uſusfructuarius *L.*1. *ff. ſi uſusfruct. petat. L.* 1. & *ult. ff. de novi oper. nunciat.* Inſuper ad Vaſallum omnis utilitas, non tam ex re, ſed ex rei occaſione percepta pertinet, puta theſaurus: ſecus eſt in uſufructuario. *Struv. cap.* 12. *th.* 5. Denique in Feudo ſemper fides, & plerumque ſervitia præſtantur, non in uſufructu. *Feud. II. tit.*3. & *tit.* 23. §. *ult. Vult. Lib.* 1. *De Feud. cap.*2. Ceterum non in re ipſa, ſed in jure Feudum conſiſtere videtur, non minus ac uſumfructum. Quare huic quam maxime illud

affine eſſe, contendit vir doctus Jacobus Cujacius *Lib. II. Feud.* Atque priora hæc definitionis verba loco generis ſunt: *jus* namque *utendi fruendi* non minus Feudo conveniunt, quam emphyteuſi; cum in utriſque proprietas, ac dominium directum penes concedentem reſideat; utile penes eum, cui prædium conceditur. Subditur *alieno prædio*: nam principio in re propria nequit Feudum conſtitui, niſi prius in dominum transferatur titulo donationis ſub modo factæ, & ab hoc res eadem uti Feudum recognoſcatur: quod propterea Feudum *recognitum*, vel *oblatum* appellatur. Dein vere Feudum nonniſi in rebus ſoli conſiſtit, aut in iis, quæ inter immobilia civili ratione recenſentur; *Feud. II. tit.* 1. Huc ſpectat juriſdictio, quæ conjuncta cum prædio immobilibus accenſetur. *Struv. cap.* 2. *th.* 3. *num.* 5. Itaque proprie Feudum immobilium eſt; & *extra Curtem*, ſeu domum Domini eſſe dicitur. Sin conſtituatur in mobilibus, improprium eſt, & in *Curte Domini. Feud.* I. *tit.* 5. §. *fin.*; nec tam Feudum eſſe, quam *jure Feudi cenſeri* dicitur *Feud. II. tit.* 48.; quemadmodum eſt de caneva, guardiæ, gaſtaldiæ; ut inferius. Præterea *τὸ in perpetuum* in-

indigitat, Feudum, quod ad tempus conceditur, improprium eſſe; ac τὸ *pro beneficio*, beneficium eſſe, ſive benevolam dantis actionem *Feud. II. tit.* 23., quicquid contra ſtatuat *Veſembec. de Feud. cap.*1. Tametſi autem interventu pecuniæ adquiratur, nihilominus exemplo donationis ob cauſam, rectiſſime appellari videtur a potiori parte beneficium, *arg. L.*10. *ff. de ſtatu hom.* Accedit, quod venditio quandoque donationis cauſa fieri queat, *L.* 38. *ff. de contrab. emt.* Hinc Feudum *emtitium* vere Feudum eſt. *Feud. I. tit.* 16. *&* 20. Sane & venditione Dominus benevolentiam indicat ſuam, quod Vaſallum aliis præferre maluerit: pecunia vero non tam eliciendi, quam remunerandi beneficii cauſa data præſumitur. *Stryk. Exam. Juris Feud. cap.* 2. *theſ.* 20. Id autem beneficium *Dominus* ſuperior concedit: qua in re ab emphyteuſi differt, in qua nullum perſonarum diſcrimen, dignitas nulla prælucet. Poſtrema definitionis verba finem denotant, ob quem Feudum conceditur; ut nimirum Feudatarius opem Domino ferat; & nedum in pacis otio *officia*, ut Reipublicæ regimini adjumento ſit, ſed & in bellico certamine *ſervitia* præſtet; atque in

parandis equis, armiſque, ac quibuslibet fortiter periculis pro Domini incolumitate ſubeundis præſto ſit. Obſequium itaque conſiſtere potius videtur in ſervitio perſonali, h.e. munere militari, ſive in Inveſtitura exprimatur, ſive ſubticeatur. *Cap.* 1. *in quibus cauſis Feudum amittatur*. Præſertim in Regno Feudatarium, qui Feudum habet pertingens ad reditus 20. unciarum, teneri belli tempore perſonaliter cum tribus equis, ſuis impenſis, ſpatio trium menſium militiæ nomen dare, cautum fuit cap. *Item ſtatuimus*, *quod Comes*, Etenim 20 unciæ continent unius militis ſervitium. Quod ſi perſonaliter non accedat, adoham in pecunia ſolvet; nimirum pro 20. unciis 10. cum dimidia: modo Feudum ſubditos habeat: nam ſi ruſticum fuerit, tres uncias pro uno milite perſolvet. *Iſernia in d. cap.* 1., *& Montanus in cap. Imperialem*, *de prohibita Feudi alienatione per Fridericum*. Licet igitur Jure communi optio Baroni, vel perſonaliter inſerviendi, vel ſubſtitutum pro ſe offerendi, vel ſolvendi pecuniam, competere videatur ob §. *fin. d. tit. quibus cauſis Feud. amit.*; eo quod verba Vaſallo dirigantur, electio debitoris eſt; atta-

tamen in dicto Capitulo Regni determinate de ſervitio militari mentio fit, vel a Feudatario præſtando, vel ab ejus ſecundogenito, qui primogeniti armis, equiſque erit pugnaturus. *V. Montanum in d. l. Imperialem*. Verum ſervitia non ad ſubſtantialia Feudi ſpectare, ſed ad naturalia, pleno ore Feudiſtæ docent. Quod vero quæ de natura contractus ſunt, mutationi ex contrahentium voluntate obnoxia fiant, ex lege contractus ſine ſervitiis Feuda conſtitui poſſe, nullus dubito. Exemplum eſt in Feudis *Francis*. E contrario *fides* ita de ſubſtantia Feudi eſt, ut conventio, ne ſcilicet Dominus Feudi, & Vaſallus fidem, ut ajunt, *feudalitiam* ſibi præſtent (ille nimirum fidem defenſionis, hic obſequii), Feudi conſtitutionem ipſo jure nullam reddat. *Duaren. in Comm. Feud. cap.* 2. Quod ſi in id convenerint, non Feudum erit, ſed alius contractus; & quidem vel donatio, vel, ſi pecunia intervenerit, utilis dominii venditio. *Struv. cap.* 2. *th.* 6. Nec obſtat *Feud. Lib. II. tit.* 3. *in fine*; namque jusjurandum remitti poteſt, non fides. Brevior Vultei *De Feud. I.* 2. definitio: Feudum eſt *uſusfructus quidam rei immobilis ſub conditione fidei*.

§. 4. *Quo primum tempore Feudi vox invaluerit.*

Antequam Feudi vocabulum invaluiſſet, multipliciter deſignari ſolebat. Nam Feuda *honores*, & *militiæ* vocabantur. Hinc Guntherus *Lib. VIII. Ligurini*

Publica Militiæ Vaſallus munera juſtæ
Non renuat, dominique libens in caſtra vocatus
Aut eat, aut alium pro ſe ſubmittat iturum.

Dicebantur etiam *beneficia*. I. *Feud.* 1. §. 2. *& paſſim*. Quare *beneficia*, & *Alodes* ſibi invicem opponuntur *Capit. Caroli Calvi* 7. §. 20. *tit.* 36. *cap.* 22. *V. Burcardum Struvium in Hiſtoria Juris Feudalis; ſive capite* 8. *Hiſtoriæ Juris* §. 1. Inſuper *miniſteria* appellabantur; & *Fiſci*. Proinde Marculfus *Lib. I. Form.* 2. Fiſcum opponit proprietati. *V. Hertius de Feudis oblatis p.* 1. §. 2. *Thomaſius Sel. Jur. Feud.* §. 25. *Bignonius not. ad Marculfum apud Baluzium Tom. II. pag.* 875. Jo. Seldenus Gloſſario Hiſtoriæ Anglicanæ ſubjecto ante annum M. in nullo monumento non ſuſpectæ fidei, ſe Feudi nomen reperiſſe teſtatur. Tametſi autem recens ſit vox iſta, res tamen ipſa ante nomen erat. *V. Supplem.*

ad

ad Cangium v. Feudum. De Feudi voce in Italia primum anno 1083 invecta agit *Murat. Diſſ.* 11.

§. 5. *Ejus etymologia; tum vocis allodii.*

Ceterum de *Feudi* notatione mirum quantum diſcrepant Feudiſtæ. Diverſas vocabuli hujuſce derivationes legerunt Conradus Rittershuſius *Partit. Feud. Lib. I. cap.* 1. *quæſt.* 12. Roſenthalius *cap.* 1., Zaſius, Budæus, Struvius, & imprimis Huemannus *de prima vocis Feudi origine*. Profecto ſunt qui a Germanico *Fiiden* derivant, quod eſt *paſcere*, ſeu *alere*; nimirum quia Vaſallus ſe, familiamque ex Feudo alit. *Borcholt. de Feud. cap.* 1. *n.* 5. *Struv. cap.* 2. §. 1. *num.* 6. Alii a vocabulo Langobardico *Feuda*, quod hoſtilitatem, & bellum denotat, cui reſpondet Germanorum *Febde*: nam ob belli neceſſitates Feuda potiſſimum conceſſa. *Vide Samuel. Strykium in Exam. Juris Feudalis methodo Inſtitutionum diſpoſito cap.* 2. §. 1. Nonnulli a priſca Germanorum voce *Fe*, quæ & pecus, & alia bona denotabat, ac mercedem, ſeu ſtipendium, & *ode*, quæ poſſeſſionem quaſi mercenariam ſignificat;

quia

quia Feuda olim ſtipendii loco concedebantur militibus: quo & referri poteſt, quod veteres Interpretes *Feodum* ſcripſerint. Ita etiam Grotius in *Flor. ſpars*: *Origo vocis eſt Fe—od*, *ideſt ſtipendii poſſeſſio*. Adhæc Salmaſius *de Mutuo*, poſtquam ait, ab emphyteuſi originem duxiſſe omnia illa contractuum genera, quæ barbarico ſæculo, partim in Eccleſiam introducta ſunt, partim in vitam civilem, precariarum, libellariarum, cenſuum, redituum; ſubdit, Feuda ipſa inde traxiſſe nomen. *Nam* εμφυτευσις *ab* εμφυτον, & *ſimplex* φυτον; *unde Feudum barbari fecerunt*. Quidam a *fœdere*: *Zaſius in Epit. Feud. par.* 1., vel a *faciendo* deducunt: rurſus alii a conceptis verbis fidelitatem promittentium; Fidelis Ero Vasallus Domino Vero Meo; unde ex initialibus litteris *Feudum* efficitur. Ita Bodinus *de Republica* I. 9. Atqui harum derivationum quædam ab origine Feudorum, atque a cauſa remota deſumptæ ſunt, quædam vel ipſa pluma leviores; aliæ ingenii ſunt potius deliramenta. Rectius complures in tanta opinionum varietate Feudalis textus auctoritate moti, a *fide*, ſeu *fidelitate Feudi* vocem proficiſci exiſtimant. Nam inquit Feudiſta in

tit.

tit. 3. *Lib.* 2. *Feud. A fidelitate dicitur Feudum*, *vel a fide*. Sane fides Langobardis *fede* dicebatur; quemadmodum & hodie Italis ſonat. *V. Benedict. Carpzov. in Synopſi Juris Feudalis Diſp.* 1. §. 24. Hinc vocum convenientia quædam apparet. Nimirum, poſtquam Romæ prius ſub Odoacro, mox ſub Gothis, & a variis Gentibus, quas Romani *barbaras* vocarunt, miſere diſcerptum eſt Imperium, ſermo quoque Romanus valde fuit corruptus. Ita Geſnerus in ſuo Mithridate *p.* 3. *Linguæ ſunt corruptæ propter imperia. Fere enim victi paulatim victorum moribus, & linguis ſe accommodant. Sic a Gothis Latina lingua in Italia, Gallia, & Hiſpania corrupta eſt.* Addeſis *Gerb. Voſſium de vit. ſerm. & gloſſem. Latino—barb. l.* 7. *Joh. Nieſſ. de ortu, & occaſ. linguæ latin. lib. II.* Quod ſi ea notatio a *fide* minus ad Grammaticæ amuſſim conveniat; logicam tamen eſſe, nemo inficias iverit: proinde de more Juriſconſultorum ei inhærere magis arridet. Adhæc Vaſalli *Fideles* dicti *Feud. I. tit.* 1. §. 2. *tit.* 4. & 10. *Cujac. in proëm. Feud. Roſenth. in Synopſi Jur. Feud. cap.* 1. §. 5. *Veſembec. cap.* 1. Eos *leudes* nuncupant Gothi, & Saxones; ac Feudum *leu-*

leudum, ideſt *fidelitas*. Verum *Feudi* voce, unde unde ſit, recte utimur. Ad deſignandas enim res Romanis plane incognitas, ipſa cogit neceſſitas nova vocabula comminiſci. Hac de re fuſe Voſſius *d. tract. I.7.*: & ad rem ait; *eandem ob cauſam nec Gothicam* FEUDI *vocem abhorream*. Jam vero Feudalibus bonis *allodialia*, ſeu *burgenſatica* opponuntur, quæ pleno optimoque jure poſſidentur. Budæus *in annot. ad ff. in L. 63. de evict.* ab *alaudia* factam *alodii* vocem putat, quod veri domini laudare auctorem ſuum nemini teneantur. Sed bene Hotomanus *De Verbis Feudalibus v. alode*, hanc ridet etymologiam. Vero ſimilius ei videtur, primam vocis originem ex eo manaſſe, quod nationis bello ſubactæ prædia bipartito dividerentur; & melior pars militibus fruenda beneficii loco attribueretur; altera pars plebeis, ac reliquæ multitudini; quod Germani dicunt *als leud*, quaſi quis dicat, univerſæ plebi. Itaque *allodium* aut proficiſcatur a voce Germanica *leod*, quaſi *populare*, quod cuivis e populo dari, vendique poſſit; aut ab *ald*, hoc eſt *antiquum*, aut a *leodes*, quia ejus poſſeſſor nemini eſt Vaſallus, res eodem redit. *V. Sirmund. ad Cap. Caroli Calvi*
VII.

VII. Nec ſum neſcius, quoſdam putaſſe, eam vocem dici a duabus Germanis *an*, & *lot*, ſeu terris forte fortuna obtentis *Vakter. Gloſ. German. v. Allodium*. *Cangius v. Alode*; quia fundorum partitiones ſorte quandoque initæ apud Germanos fuerunt. At obligationes veterum poſſeſſorum rerum allodialium hic referre nec vacat, nec lubet.

§. *6. Feudi vox accipitur tripliciter.*

Adnotandum, Feudi vocabulum ὁμώνυμον eſſe, atque in Jure Feudali tripliciter accipi. Principio ipſam rem denotat, quæ in Feudum conceditur, *ut in tit.* 8. §. *e contra. tit.*22. §. *ſi vero* in verbis, *Feudum malo ordine intravit. Lib. II. tit.* 4. §. *fin. Lib. I.* Dein contractum, per quem Vaſallo jus in re conſtituitur, ut in *tit.* 3. *pr.* & §. 1. *tit.* 20., ibi, *per Feudum inveſtituram accepiſſe. Lib, II.* F. Denique proprie jus illud ſignificat, quod ratione fidelitatis, atque obſequii in re quapiam Vaſallo eſt conſtitutum. *tit.* 25. *lib. I. Feud. tit.*1. §. *fin. Lib.II. Feud.* Perinde ac pignus interdum pro re oppignorata ſumitur *tot. tit. ff. de diſtrab. pign.* quandoque pro

pro contractu *L.* 1. §. *fin.* *ff.* *de pact.* necnon pro jure, quod creditori in pignore competit. *tot. tit.* *ff.* *quas res pign. oblig.* & *tot. tit.* *ff.* *qui pot. in pign. V. Cujac. in pr. Comm. Feud. Ritterſhuſ. in partit. Feud. Lib.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 4. Quapropter Duarenus *de Feudis II.* 3. Feudum pro ipſa re ſumit, ac definit. E contrario Cujacius *Feudorum Lib. III.* illud non in re ipſa, ſed in jure, non minus ac uſumfructum, conſiſtere putat; definitque *Jus fruendi &c.*

§. 7. *Contractus Feudalis nominatus, & ſtricti juris.*

Jam Feudum contractus eſt Juris Civilis, non quidem innominatus, ex quo actio *præſcriptis verbis* exoriatur, ſed nominatus quidem; unde eſt actio *in rem*, ſive utilis vindicatio: & poſt conventionem minime fit pænitentiæ locus. Bartolus *ad L. Juris Gentium C. de pactis*. Veſembecius *de Feud. cap.* 2. Eſt itidem ſtricti juris, non bonæ fidei; tum quia tantum, quæ in inveſtitura expreſſa ſunt, legem feudo dicunt; tum quia Feuda introducta ſunt ex conſuetudine, quæ ſtricte

ƈe interpretanda ex communi Doƈorum calculo in *L*. 3. *C. de Negot. geſt.*

§. 8. *Differt Feudum ab emphyteuſi, & cenſu.*

Differre autem Feudi contraƈum a ceteris utilis dominii ſpeciebus, ſat ex diƈis liquet. Et primo ab emphyteuſi. Vaſallus enim fidem præſtat; emphyteuta ſolummodo annuum canonem: ille ſine Domini voluntate Feudum alienare nequit *II. F. tit.* 55.; bene tamen iſte, modo denunciatus dominus intra duos menſes pretium ſolvere nolit. *L*. 3. *C. de J. Emphyteut.* Feudalibus autem & emphyteuticis affinia ſunt bona cenſualia, ſive cenſitica, ut ajunt; quando nimirum plenum rei dominium, non utile tantum, ut in emphyteuſi, alteri ſub conditione conceditur, ut quotannis certum cenſum præſtet: & quidem non in recognitionem direƈi dominii, quod non videtur penes concedentem remanere. Struvius *Syntagm. J. Feud. cap.* 2. *aphor.* 7. Proindeque cenſuarius ob faƈam alienationem irrequiſito concedente, rem non amittit. *Capyc. dec.* 196.: nec ea privatur, licet per plures

res annos cenſum non ſolvat ; ſed ſolum ex contractu cenſuali , vel etiam ex delicto actio perſonalis competit domino cenſus , qua cenſum , vel etiam pœnam ob contumaciam , expenſas , & id quod intereſt , exigat : cum e contrario in emphyteuſi , quia canon de re aliena ſolvitur , ut alter Dominus recognoſcatur , eo per triennii moras non ſoluto , illa amittitur . Cenſus iſte , de quo agimus , cum a concedente reſervetur , *reſervativus* , & alibi *fundarius* dicitur : ad differentiam ejus , qui in re , quæ jam alterius eſt , alteri conſtituitur , & appellatur *conſtitutus*, vel *conſignativus* .

§. 9. *A bonis libellariis* .

Huc etiam pertinent libellaria bona ; Germanis dicta *colonaria* . Jus libellarium, ſeu παροικικὸν , cujus mentio fit in *L.* 24. §. 1. *C. de Ss. Eccleſ. & Nov. VII. princ.* §. 1., *& Nov.* 120. *c.* 1. (ubi in Græco eſt ἀλλ' ὅτι παροικικῷ δικαίῳ διδοσθαι τι συγχωρῦμεν ; *ſed neque colonario jure dari aliquid permittimus* ; & Carolus Annibal Fabrotus textum ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ *Lib. V. tit.* 2. *L.* 1. μήτε μὴν παρεχέτω ἐπὶ παροικῷ δικαίῳ vertit , *ſed ne-*

neque paroecico , ſeu libellario jure det), eſt conventio , qua res in alium transfertur ex venditione , ſcriptura interveniente , ſub levi pretio , & certa annua penſione , ea adjecta lege, ut contractus hic determinato tempore, numerato rurſus pretio, renovetur. Verum enimvero Juris Feudalis compilatores per formulam *libellario nomine concedere* , *&* *per libellum alienare*, ſignificare quoque videntur conſtitutionem emphyteuſeos. *Hotoman. Lexic. Feud. v. libellarius contractus. in fine*; quemadmodum patet ex deſcriptione contractus libellarii *II. F.9.* §.2., quæ convenit cum emphyteuſeos deſcriptione *in* §. 3. Accedit, quod in Feudorum Libris ubi ſimilis feudali contractus ponitur, ſemper libellarius nominetur. *II. F. 26.* §. *inter.9.*, nec unquam mentio fiat emphyteuſeos; quæ tamen dubio procul apud Langobardos in uſu fuit. *Leg. Langobard. L. 3. tit.* 1. *L.* 37. *tit.* 10. *L.* 4. Forte libelli, ſive libellarii nomine emphyteuſis comprehenſa eſt, quod compoſitores iidem communem Doctorum ſententiam ſequuti, emphyteuſim, nonniſi interveniente ſcriptura, & libello, fieri poſſe exiſtimaverint. *Conf. Frideric. Lindebrog. Gloſſar. v. libellarii an-*

tiqui, *&* *Cencius de Cenſibus p.* 1. *q.* 1. *art.* 1. Attamen diſcrimen inter libellarium contractum, & emphyteuſim in eo doctiores cognoſcunt, quod in illo plenum transferatur dominium cum annuæ penſionis reſervatione; in hac vero tantum utile. Quod autem vera alienatio ex hujuſmodi contractu inducatur, vetat Feudiſta Feudum ad libellum dari. *II. F.* 9. A brevi ſcriptura, quæ interveniebat, factum *libelli* nomen. Cangius *in Gloſſ. hac voc.* At Connanus *VII.* 12. a vili penſione, hoc eſt numo, quem *libellam* Romani dixere, factum autumat.

§. 10. *A precaria.*

Porro precaria eſt uſusfructus quidam ad preces ei conceſſus, qui Eccleſiæ rem ſuam donavit, vel in re eadem, vel etiam in aliis Eccleſiæ rebus ſive mobilibus, ſive immobilibus, de quinquennio in quinquennium renovandus. *L.* 14. §. 5. *C. de SS. Eccleſ. Nov.* 7. *cap.* 4. *Nov.* 120. *cap.* 2. *Cujac. Obſ. IV.* 7. Conceſſio iſthæc aliquando reſtringitur ad certum tempus, vel ad vitam ejus, liberorumque; aliquando fit in perpetuum. *LL. Langobard. Lib. II.*

tit.

tit. 18. *L.* 4. Et conſtituitur hoc jus tam cum penſione, quam ſine ea. Extenſa demum precariæ vox ad omnem conceſſionem uſusfructus rerum Ecclefiæ ad certum tempus, uti ex Bignone *Not. ad Marculph. formul.* Ea fiebat olim, vel cum quis bona ſua Eccleſiæ offerebat, eamque rogabat, ut ſibi iis, quamdiu vitam viveret, vti frui liceret; unde Feuda *oblata*. *V. Petr. Gregor. Syntag. XXIII.* 2.; vel cum Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ bona ita alicui largiebatur, ut ad Eccleſiam poſt ejus obitum reverterentur. Fuiſſe id in more poſitum, tum ut legi alienationem bonorum Eccleſiæ vetanti fraus fieret, tum ut pauperibus proſpiceretur, docent eruditi. *V. Boëhm. ad tit. Decret. de precaria.* Ne autem ea bona in perpetuum alienata viderentur, dici aſſolebat contractui lex, ut certo tempore, v. g. de quinquennio in quinquennium, renovaretur. *cap.* 1. *& ult.* X *de precar.*, *& ibi Ciron. V. Cuiac. Feud. I.* 5. Verum ſicut *precaria* dicebatur reſpectu ejus, ad cujus preces concedebatur, & cenſum ſe daturum promittebat; ita *præſtaria* reſpectu Epiſcopi, vel Abbatis id jus præſtantis. Ita in Capitulari Caroli Calvi *tit.* 9. *cap.* 11. præſtariæ fit mentio, & *tit.*

 10.

10. *cap.* 11. precariæ. Varias ejus rei formulas affert Marculphus *Form. ſolemn. tit.* 19. 20. 22. *Conf. Lindebrogius Gloſſar. v. precaria.*

§. 11. *Et a Jure ſuperficiei.*

Denique jus ſuperficiei eſt jus habendi aliquid ædificatum, vel alio modo impoſitum in ſolo alieno *L.* 74. *ff. de Reivindic.* Et interdictum *de ſuperficiebus* tuetur *ſuperficiarium*, ideſt eum, qui in ſolo, vel area conducta *ſuperficiem*, ſeu ædificium habet, in perpetuum, vel ad non modicum tempus, ſub annuo ſolario, ſeu penſione, quam Varro *locarium* ex eo vocat, quod præſtatur a loci conductore. *Cujac. Obſ. XIV.* 1. Superficiarius quidem poſſeſſor eſt, juſque habet dominio proximum, quod utilem in rem actionem ei parit. *tit. ff. de ſuperficiebus*. At a jure ſuperficiario præcipue differt Feudum, quod hoc conſiſtit in ipſo rei ſolo; illud in ſuperficie tantum, nec fidei conditionem poſtulat. Atque hæc ſummo veluti digito attigiſſe ſufficiat, ut cognita contractuum, quibus utile transfertur dominium, oppoſita natnra, Feudi etiam ουσια, *eſſentia*, melius innoteſceret.

§. 12.

§. 12. *Multipliciter Feudum dividitur.*

Nunc ad Feudorum diviſionem gradum faciamus. Ea a Feudiſtis, invita prorſus Logica, concepta eſt. Non enim genus in ſpecies, ſed in accidentia potius diſcerptum. Quod non eſt dividere, ſed frangere, ait Tullius *de fin. II. 9.* Appoſite Seneca *ep. 90. Idem vitii habet nimia, quod nulla diviſio: Confuſio eſt, quicquid in pulverem ſectum eſt.* Ut autem verum fateamur, varia Feudorum diviſio inducta eſt, prout temporum poſcebat conditio, & Principum ſuadebat conſilium. Non enim extemplo tot partitiones emerſerunt. Sed ſenſim, neceſſitate impellente, vel utilitate ſuffragante, Principes largitiones ſuas gubernarunt; ac pro ærarii viribus, ſubditorumque meritis, novos effingebant modos, quibus grati animi teſtimonia exhiberent; varioque remunerandi genere Vaſallos ad fidem præſtandam alliciebant.

§. 13. *Feudum vel proprium, vel improprium.*

Summa, eaque recepta Feudorum diviſio eſt, quod alia ſint *propria*, alia *impropria*.

Profecto omnes Feudorum ſpecies huc referri non incommode poſſunt. Nec obſtat, quod Feudum *improprium* non ſit Feudum: cenſetur enim jure Feudi. *II. F.* 48. Proinde ſtatuta de Feudis & ad *impropria* ſpectant. *Stryk. Exam. J. Feud. cap.* 3. §. 2. *Proprium* eſt, quod ea, quæ de natura Feudi ſunt, nulla pactione reſtricta retinet, & in quo a communibus Juris Feudalis regulis minime receditur. *I. F.* 7. *II. F.* 2. Non omnia vero pacta contra naturam Feudi pugnant. Pugnant pacta *detrahentia* communi Feudorum indoli; non *augentia*, ut ajunt. Si enim ſalvis, quæ Feudi naturam conſtituunt, quid adijciatur, *improprium* Feudum non erit. Feudi naturalia ex communi Jure ſunt juramenti præſtatio. *II. F.* 3. *in fin.*, maſculorum tantum ſucceſſio *I. F.* 8. §. 2. ad ſervitia, & quidem incerta, obligatio. *II. F.* 23. alienationis denegatio. *II. F.* 55., inveſtituræ poſt mortem domini renovatio. *II. F.* 25.; Feudi prævia culpa ablatio. *I. F.* 21., in immobilibus conſtitutio, & ſimilia. *Vultei. Lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 37. *Stryk exam. J. Feud. c.* 3. §. 1. In dubio autem feudum *proprium*, ſeu rectum præſumitur. Pacta quippe facti ſunt; ideoque probanda. Ex diſtinctione vero

vero naturæ ab eſſentia Feudi, conficitur, ſi Feudum a ſui eſſentia deflectat, Feudum amplius non eſſe, ſed quid aliud: ſi deflectat a ſui natura, *improprium*: ſin accidentia commutentur, *proprium* remanere. *Boehmer. Diſſert. de Feud. eccleſ. cap.* 11. §. 9. Appoſite nonnulli dicunt, Feudum *proprium* perfectionem eſſentialem, atque integralem habere; *improprium* illam, non iſtam. Quæ tamen omnia intelligenda ſunt, non ex Feudorum origine; bene vero ex forma, quam circa ſucceſſionem poſtea legibus, moribuſque obtinuerunt.

§. 14. *Feuda propria dividuntur. Feudum eſt vetus, & novum.*

Quinque ex rationibus Feudum *proprium* variare, doctiores Feudalis Juris Interpretes conſtituunt. Primo ratione adquiſitionis vel *vetus* eſt, vel *novum*. Vetus, quod ſucceſſionis jure ad aliquem eſt devolutum: idque ex nonnullorum ſententia diſpeſcitur in *antiquum*, quod ab aliquo adſcendentium ultra quartum gradum eſt adquiſitum; & *paternum*, quod infra quartum gradum originem ducit. At vero paternum, & antiquum in Ju-

re Feudali pro ſynonymis ſumuntur . *II. F.* 50., nec effectu differunt . Et textus *I. F.* 8. §. *hoc quoque* ad jus antiquum referendus; ex quo ſucceſſio in Feudis quartum non exceſſerat gradum; quod tamen poſtea mutatum . *I. F.* 1. §. 4. Vulrej. *I.* 8. *Novum* eſt , quod quis ipſe primum adquiſivit. Proinde communi Jure, ſi filius, ſe a paterna hereditate abſtinendo, conſenſu agnatorum de novo inveſtiatur, novum fit Feudum; tametſi antea antiquum fuerit. *II. F.* 45. *in fine*; cum non ex jure patris, ſed novo titulo adquirat: ut ita poſtmodum agnati non admittantur, niſi jura ſibi reſervaverint. Struv. *c.* 3. *th.* 2. Quod vero in ſingularibus pretium in locum rei non ſuccedat, novum itidem cenſeri debet Feudum ex veteris pretio comparatum; niſi prius agnatorum conſenſu eo fine ſit venditum , ut novum antiqui naturam induat. Sed id omne in arbitrio Domini eſt de novo Feudo inveſtientis . Agnatorum enim conſenſus licet prioris feudi confirmet venditionem, novo tamen nullam qualitatem feudalem ſuperaddit. Quin Dominus poteſt Feudum novum jure antiqui concedere ; cum liberum ei ſit juri ſuo renunciare *arg. L.* 21. *C. mandat.* Nec obſtat

ſtat Oltradi ratio in *tract. de Feud.*, verba immutare non poſſe rei veritatem : non enim hæc mutatur ; ſed aliquid ſtatuitur , quod ſine conventione aliter ſe haberet. Id vero fieri poſſe, ſuperius innuimus. Feudum autem natura vetus, non pacto, jure Feudi novi concedi nequit , niſi cum agnatorum conſenſu, quibus invitis, jus in inveſtitura quæſitum non eſt auferendum. *I. F.* 14. Ceterum in dubio, num antiquum ſit , an novum , melior poſſidentis habenda conditio. *II. F.* 11. §. *fin. II. F.* 33. *fin. L.* 5. §. 1. *ff. de calumniat.* Si vero nec Vaſallus poſſideat , nec Dominus, vetus præſumitur. *II. F.* 26. Non levis momenti hoc Feudorum diſcrimen eſt: præſertim, quod antiquum Feudum ſucceſſores conſequuntur ſine ulla traditione, vel inveſtitura; jure tantum ſucceſſionis. *I. F.* 14.; novum inveſtitura. *I. F.* 25. In antiquo agnati, & collaterales , liberis deficientibus, ſuccedunt; in novo ſecus eſt. Veſembec. *de Feud. cap.* 2. qua de re infra redibit ſermo .

§. 15. *Eccleſiaſticum*, *&* *Sæculare*.

Secundo ratione objecti , ſeu rei in Feu-

Feudum datæ, Feudum duplex, *Eccleſiaſticum*, & *Sæculare*. Illud in re Eccleſiæ conſtituitur: hoc in re ſæculari. Neque hic qualitas attendenda perſonæ conferentis, vel accipientis. Nam & laicus feudum Eccleſiaſticum conſtituere poteſt, ſi liberam bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem habeat, & Clericus feudum ſæculare, ſi hoc de proprio patrimonio conſtituat, *cap. clerico*, & *II. F.*35. Sed quandoque *Eccleſiaſtici* nomine venit, quod ab Eccleſia, *Sæcularis*, quod a ſæculari Principe confertur. Pontifex enim Romanus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, & Præpoſiti Feuda conferendi jure gaudent *ex cap.* 1. *de his, qui Feudum dare poſſunt*. Plerumque ea vocabula alio ſenſu accipiuntur, uti in ſequenti §.

§. 16. *Nobile, & ignobile: quaternatum, & de tabula.*

Tertio ratione effectus, ſeu adjunctæ qualitatis, Feudum vel *nobile* eſt, vel *ignobile*. Illud perſonam accipientis nobilitate auget; idque accidit, cum & immediate a Rege conceditur, & titulus tribuitur dignitatis, veluti Principatus, Ducatus,

catus, Marchionatus, vel Comitatus. *Capycius in inveſtitura Feudali*; quorum poſſeſſores nobiles ſunt, & *Capitanei Regis II. F.* 10., & *majores Valvaſores I. F.* 1. *&* 7. appellantur. Proinde ſi Imperator, aut Rex alicui Feudum nullius dignitatis conceſſerit, ex gr. unum *manſum*, nempe agrum duodecim jugerum, aut pagum, id poſſeſſorem minime nobilitat. *II. F.* 10. Ita Duarenus. Obſervandum, in eo textu *pagum* pro vico, non vero pro provincia ſumi. Ceterum *pagus* vix, ac ne vix quidem in vetuſtis inſtrumentis pro vico, aut villa, ſed pro Civitate, agroque circumpoſito, ac pro regione, & tractu accipitur. V. Mabill. *de Re Diplom. II.* 7. At priori ſignificatione vicus, ſive pagus, qui eſt plurium familiarum complexus, *Valvaſori* committitur, ſicuti *Comiti* Civitas, quæ ex pluribus familiis; *Duci* Regio, quæ ex civitatibus pluribus coaleſcit: & cui limina Imperii regenda mandabantur, apud Romanos *Dux* vocabatur; *Marchio* apud Langobardos. Redeamus in viam. Nobilitas eſt *civilis qualitas in ſola honoris ſupra plebem eminentia conſiſtens*. Huber. *de Jur. Civ. II.* 5. Hoeping. *de jure inſign. cap.* 8. Ea vero non territorio

torio adhæret, nec juribus in Feudum conceſſis, ſed perſonæ. Bodin. *de Rep.III.*8. Perez. *ad tit. C. de Dignit.* Nobile eſt quoque Feudum *regale I. F.* 10., de quo inveſtiti omnia regalia habent, exceptis, quæ ad ſupremæ poteſtatis præeminentiam, majeſtatemque pertinent. Hotoman. *Obſ. II.* 16. Scrad. *p.* 2. *c.* 3. Giphan. *J. Feud. diſp.* 2. Lunig. *Ital. Diplom. tom.* 2. *Ignobile* eſt, quod accipitur ab iis, qui dare poſſunt; at ſummo non potiuntur imperio, nec dignitatis titulis poſſunt alios condecorare; quemadmodum ſunt ipſi Feudatarii. Profecto nobilitatem, munerumque vacationem, quam nobiles habent, ſolus poteſt Princeps concedere. *tit. C. de iis, qui a Principe vacationem acceperunt*. Ignobile hoc Feudum non a poſſeſſore, ſed a collationis qualitate *Burgenſe* plerumque audit. Struv. *cap.* 3. *th.* 8. Illud vero, quod *regale* diximus, quidam dividunt in *Eccleſiaſticum*, ſi eſt cum maxima Eccleſiaſtica dignitate conjunctum; & *Sæculare*, ſi cum ſæculari dignitate. In Neapolitano Regno, quæ Feuda à Rege accipiuntur, *quaternata* dicuntur, a quaternionibus Regiæ Cameræ. *Yſern. in tit.* 45. *Lib. II. Feud.*; quæ vero a Feudatariis,

pla-

plana, & *de tabula*, quod ſcripta tantum ſint in Feudatariorum tabulis.

§. 17. *Ligium*, *&* *non ligium*.

Quarto ratione formæ Feudum vel *ligium* eſt, cum Vaſallus Domino fidelitatem contra omnes, ſine exceptione, pollicetur, arctiſſimoque fidei nexu *alligatur II. F. 99.*; *liga* namque ſequiori ævo id erat, quod Veteribus fœdus; vel *non ligium*, cum non indiſtincte ad fidelitatem præſtandam ſe obligat, ſed vel ſuperiore excepto, vel antiquiore Domino. *II. F.* 28. *in fine*. Sane prius jusjurandum poſteriori derogat, *cap.* 26., *&* 33. X *de Jurejurando*. Hinc Feudum non ligium ab eo datur, qui ſuperiorem recognoſcit: ita ex. gr. ſunt Duces, qui Cæſari ſubſunt. Ceterum hæc pervulgata diviſio minus placet Franciſco Hotomano *Diſputatione de Feudis cap.* 7.

§. 18. *In curte*, *&* *extra curtem*.

Quinto ratione ſitus Feudum dividitur in illud, quod eſt in *curte* domini, & quod *extra curtem*. *I. F.* 5. *in fine*. Illud

Illud eſt conſtitutum Vaſallo in territorio Domini: nam *curtis* territorium ſignificat *arg. tex. I. F.* 18. *in fine pr.* Hoc Vaſallo conceſſum in prædio, quod in alieno territorio dominus habet. Alii Feudum *in Curte* dicunt, ſi res ipſa manet in Curia, vel Caſtro Domini, & Vaſallo tantum utilitas obvenit, ut feudum *de Camara*, *Soldatæ*; atque *extra Curtem*, ſi res ſimul cum utilitate ad Vaſallum tranſit. Struv. *c.* 4. *th.* 18. *num.* 5. Anton. *Diſp.* 1. *th.* 4. *lit. f.* Verum hoc modo prior diviſionis hujus pars ad impropria Feuda pertineret.

§. 19. *Feuda impropria, femininum, emtitium, pignoratitium, oblatum, & injuratum.*

Porro *improprium* Feudum dicitur, in quo a propria Feudi natura receditur, vel ex diſpoſitione Juris Feudalis, vel ex contrahentium conventione; quoties per pactum Feudi naturæ aliquid detrahitur (*ſupra* §. 13.) Et primo recedi a propria Feudi natura poteſt ratione adquiſitionis, tam ſi adquirens perſona, quam ſi adquirendi modus inſpiciatur. Ex adquirente improprium eſt

eſt de communi Jure Feudum *femininum*, ſive de quo Femina primum inveſtita *II.F.*30.; quod reſpectu deſcendentium poſtea *maternum* dici ſolet. I. *F.* 15. Regulariter namque feminæ Feudorum incapaces ſunt, utpote ad ſervitia inhabiles. *II. F. 36. in fine*. Eo accedit, quod Feuda familiæ dantur, cujus femina finis eſt. Quod ſi ea ex pacto ſuccedit, maſculus vero primum adquiſiverit, *maſculinum* manet, tametſi quandoque & *femininum* audiat. Struv. *cap.* 4. *th.* 17. Stryk. *cap.* 4. §. 7. In dubio autem potius *maſculinum* præſumitur: ad feminas namque regulariter non pertinet, niſi hoc ſpeciatim fuerit expreſſum. *I. F.* 1. §. *hoc autem:* immo ad naturalia feudi ſpectat, ne feminæ ſuccedant *I. F.* 8. §. *fin.* Naturalia vero ineſſe præſumuntur. Manet etiam *maſculinum* Feudum conceſſum pro ſe, & heredibus. Licet enim alias heredum nomine & filia veniat, non tamen id obtinet in re Feudali, ubi heredes habiles intelligendi. Igitur *maſculini* nomine venit, tum quod primum a maſculo adquiſitum eſt, tum in quo ſoli ſuccedunt maſculi: quemadmodum *feminini*, quod feminæ primum conceſſum fuit; vel in quo

quo conventum fuerit, ut maſculi, & his deficientibus, feminæ ſuccedant. Quod vero in Regno noſtro ad Feudi ſucceſſionem feminæ etiam admittantur, *femineum* non recte improprium diceretur. *Mixtum* porro dicitur, de quo maſculus, & femina primum ſunt inveſtiti. *I. F.* 104. Inſuper ex modo adquirendi ſunt qui cenſent, *improprium* eſſe Feudum emtionis titulo quæſitum, eo rationis momento adducti, quod Feudum ſit beneficium; & hinc regulariter gratuitum. Vultej. *I.* 8. Stryk. *d. loco*. Verum *emtitium* Feudum proprium eſſe, alii putant. Rectius fortaſſe. Ex emtione enim, quæ extrinſecus advenit, nullam Feudi natura patitur minutionem. Nec pecuniæ interventus benevolentiam Domini prorſus tollit: quin & beneficium emi dicitur. *I. F.*20. (§.3.*pag*.5.). Eſt vero improprium Feudum *pigneratitium*; quando dominus accepta certa pecuniæ ſumma, ſed reſervata ſibi reluendi facultate, aliquem inveſtit: quia non conceditur, ut in perpetuum apud vaſallum ſit, ſed donec dominus pretium reſtituerit. Improprium quoque eſt Feudum *oblatum*, ſeu *recognitum*, cum res mea mihi in Feudum datur (§.3. *pag*. 4.); &

in-

injuratum: de natura enim Feudi eſt, ut ipſum adquiſiturus juramentum præſtet fidelitatis. Zoeſ. *de Feud. par.* 12. *n.* 34.

§. 20. *Feudum in pecunia.*

Secundo ratione objecti improprium Feudum verſatur in re mobili, ſive quæ uſu conſumitur, ſive cujus poſſeſſio ad Vaſallum non tranſit. Jure Feudali, quia pecunia neque naturaliter, neque civiliter eſt immobilis, in ea Feudum nequit conſtitui. Non refragatur textus *II. F.* 25. Ibi enim ſingularis occurrit ſpecies Domini, qui, cum Vaſallum non defenderit, ſi ita Feudum amiſſum fuerit, vel aliud Feudum, vel *nummos in Feudum impendendos*, ideſt unde aliud Feudum comparari poſſit, præſtare adigitur. Et tamen Doctores in pecunia tripliciter conſtitui poſſe affirmant. I. Si ipſi Vaſallo ſub conditione fidelitatis detur cum cautione de eadem quantitate in caſum finiti Feudi reſtituenda. II. Si pecunia tertio alicui ſub uſuris credatur, ut Vaſallo inde reditus ſolvantur, ſtatuta in quibusdam prædiis hypotheca. III. Si Dominus pecuniam retineat, & inde certos reditus

Vaſallo præſtet. In dubio autem non præſumitur Feudum, ſed quaſi uſusfructus. Struv. *cap.* 4. *th.* 2. & 3.

§. 21. *Feudum francum, conditionatum, guardiæ, gaſtaldiæ, aperturæ, & advocatiæ.*

Tertio ſervitiorum ratione improprium eſt Feudum, ubi vel plane nulla, vel certa, & determinata ſervitia præſtantur. *Francum* eſt primi generis. Verum in ejus conſtitutione ab omnibus ſervitiis exemtio omnino exprimenda eſt. Quin Feuda franca in difficillimis Reipublicæ temporibus, & in ſumma neceſſitate, libera non manebunt. Alia acceptione *Francum* eſt, in quo iure Francorum ſucceditur, nec locus fit diviſioni, quum ſolus primogenitus ad ſucceſſionem admittatur. E contrario in Feudis *Langobardis* diviſio fit, omneſque ejuſdem gradus mares ſuccedunt. In Regno noſtro omnia Feuda, quæ ſunt *de jure*, ſive more *Francorum*, eſſe individua, nec alienari poſſe, inferius exponemus. Rurſus Feudum *conditionatum* eſt, cum certa quædam ſervitia in inveſtitura expreſſa Vaſallus præſtare tenetur; ex. gr. ut Domino in cer-

to

to Caſtro defendendo opituletur; quod Feudum *caſtrenſe* dictum eſt. Tum *cenſuale* nuncupatur, & *penſionarium*, ſi vice ſervitiorum certum cenſum, ſeu penſionem quotannis præſtet Vaſallus; atque a cenſitico contractu fide differt (§.8.). Feudum *Guardiæ* dicitur, quando certum prædium Vaſallo pro cuſtodia adſignatur, ut inde fructus percipiat. *l. F.*2.; ſic dictum a Germanico *Warden*, *cuſtodire*, littera *W* in *GU* mutata. Struv. *cap.*4. *th.* 19. Bitſch. *Comm. J. Feud. ad I. F.* 2. Porro Feudum *Gaſtaldiæ* eſt, quod loco mercedis, pro adminiſtratione negotiorum Domini conceditur. *l. F.* 2.. Et *Gaſtaldus* eſt Oeconomus, ſeu rei familiaris adminiſtrator, qui & *actor* Domini dicitur *l. F.* 10. Feudum *aperturæ* Germani vocant, quod ea lege conceditur, ut Vaſallus loco ſervitiorum, tempore belli Domino certam arcem, vel Civitatem aperire teneatur. Struv. *cap.* 4. *th.* 21. Tandem Feudum *advocatiæ* dupliciter ſumitur; & pro eo, quod alicui pro cauſarum patrocinio conceditur; & ubi defenſio provinciæ, vel urbis, vel Eccleſiæ cuidam committitur.

§. 22. *Mere hereditarium, ex pacto & providentia, alienabile, habitationis, ſoldatæ, de camera, & de cavena.*

Poſtremo ratione tranſmiſſionis impropria Feuda dici ſolent, quæ vel ad quoscumque heredes tranſmittuntur, uti mere hereditarium, alienabile, vel quæ omnino ad heredes non tranſeunt, uti Feuda habitationis, ſoldatæ, de camera, de cavena. Quædam igitur Feuda ſunt *hereditaria*, quæ conceduntur Feudatario, ſuiſque *heredibus*. Hinc in iis ſuccedunt heredes omnes, etiam extranei; ac proinde hereditario jure adquiruntur: adeo ut juſte exheredatus filius, & ab allodialium, & a Feudi ſucceſſione excludatur. Rittershus. *de Feud. l.* 15. Quædam Feuda *non hereditaria*, quæ *ex pacto & providentia* (*pacto* ſcilicet primi adquirentis, & *providentia*, ſeu diſpoſitione Juris Feudalis), ac *familiaria* quoque nominantur; & conceduntur *pro ſe, & liberis*, ſeu *deſcendentibus*. Roſenthal. *de Feud. cap.* 2. *concluſ.*33., nulla heredum facta mentione: proinde jure ſucceſſionis non deferuntur, nec

nec ad heredes extraneos pertinent: adeo ut exheres ſcriptus filius iis minime privetur. At Yſernia *in c.* 4. §. *omnes filii II. F.* 28. putat, a corpore Feudi familiaris exheredari filium poſſe. Itaque in *hereditario* Feudo quicunque heredes ad ſucceſſionem vocantur; in *ex pacto*, & *providentia* tantum agnati, etſi non ſint heredes. Jacob. de Belvis. *in cap.* 1. *de eo, qui ſibi, & ſuis*. Plures etiam Feudum *mixtum* dicunt, ubi jure adhuc hereditario ſucceditur; ita ut Feudum ab allodio ſeparare non liceat, ſed filius defuncti factum præſtare tenetur. *II. F.* 45. *in fine*. In *mere hereditario* formula intervenit *pro heredibus quibuſcumque*: in *mixto* autem *pro ſe, & ſuis heredibus*, vel *pro ſe, & filiis, & heredibus maſculis*; ubi vox *heredum* efficit, ne ſit Feudum ex pacto, & providentia: licet alii, ſi maſculorum mentio fiat, potius ex pacto, & providentia eſſe velint. Conf. Coccei. *Diſſ. de Feudo hereditario mixto*; & Ignat. Chriſtoph. Lorber. *Inſtitutiones Juris Feudalis tum Germanici, tum Langobardici* §. 221. In Regno noſtro Feuda proprie *hereditaria mixta* denominantur. Nam ſublata obligatione, quam ſucceſſores ha-

bent, deferendi qualitatem hereditariam defuncti, & ſatisfaciendi oneribus legitime impoſitis; in quo conveniunt cum mere hereditariis; quoad reliqua, & præſertim dominium, ſucceſſionemque ad certum perſonarum genus reſtrictam, minime differunt a Feudis ex pacto: non enim admittuntur, niſi vocati in Inveſtitura ex anteceſſorum pacto, & providentia concedentis; excluſo quolibet Feudatarii prædeceſſoris arbitrio. Obſervandum obiter hoc loco, Feuda initio data fuiſſe ad vitam, poſtea hereditaria evaſiſſe; atque adeo certis familiis addicta. Ita bona eccleſiaſtica quoque perpetuo ſuis titulis adnexa, & pro ſervitio eccleſiaſtico dari ſolita, Feudorum inſtar exhibere viſa ſunt: ac dicta *beneficia*; uti dicebantur agri fiſcales, qui militibus pro ſervitio militari, & fide dabantur (§. 4.) Inſuper Feudum *alienabile* eſt, quod ita conceditur, ut Vaſallus in quemcumque alienare, vel transferre poſſit. *II. F.*48., quod propriæ Feudi naturæ adverſatur. *II.F.*52. Feudum *habitationis* eſt, quando jus inhabitandi certas ædes, vel caſtrum, cuidam ſub fidei conditione conceditur; quod jus morte expirat. *II. F.* 105. Feudum *ſol-*

datæ

datæ eſt præſtatio certæ pecuniæ, vel certorum *ſolidorum*, vel etiam rei conſumtibilis, ad vitam alicui ſub lege fidelitatis gratuito conceſſa. *II. F.* 10. *in fine*. Hoc ſub ſe continet Feudum *de camara*, & de *cavena*. *II. F.* 2. §. 1. De camara eſt, cum Princeps certos reditus pecuniarios ex *Camara*, ſeu ærario, ſingulis annis ſolvendos, ſub conditione fidei, & ſervitiorum concedit. Qua in ſpecie, ſi demonſtrative *camara* adjecta fuerit inops, ſatis aliunde fieri debet; non vero ſi adjecta ſit reſtrictive *arg. l.* 8. §.2. *de leg.* 2.: nam liberatur Dominus quamdiu inops eſt camara. *II. F.* 58. Camera itaque conclavis erat, ſeu locus, ubi theſaurus ſervabatur. Petrus de Vineis *lib. I. epiſt.* 10., *&* *lib. II. epiſt.* 31. Præcipue pro Fiſco Principis accepta; quemadmodum *Camerarius* in Regum palatiis dignitas erat, cui Cameræ, ſeu Cimeliorum Regis cura incumbebat; & *Camerarii Provinciarum* in noſtro Regno dicebantur, quibus cura fiſcalium redituum incumbebat. Hinc legere eſt præ ceteris apud Hugonem Falcandum, *Camerarii Calabriæ*, *Apuliæ*; apud Chriſtianum Archiep. Moguntinum *in Chronic. Mogunt. Came-*

dividua permanent. *II. F.* 55. §. *præterea*. Item *corporalia*, quæ in rebus ſoli, ſeu immobilibus conſiſtunt; *incorporalia*, quæ in juribus, ſeu rebus incorporalibus. *II. F.* 1. §. *ult.* Tandem *ſub-feuda*, quæ interjecto alio ab aliquo tenentur; quibus opponuntur *plena feuda*, quæ ſimpliciter *Feuda* appellantur. *II. F.* 52. Subfeudum vero reſpectu Feudi ſuperioris, *Feudum ſerviens*; ſuperius *dominans* dici conſuevit. V. Petrum Gudelinum *in Commentario de J. Feudorum parte* 1. *cap.* 4. De Feudis ſic dictis *Altaris* legi poſſunt Lorber *Inſtit. J. Feud.* §. 9., & Chaldenius *in Programmate de Altaragio*, *apud Jenichen in Theſaur. J. Feud. tomo* 1. Diviſiones vero Feudorum, quas recenſuimus, non omnes in hoc Regno invaluere.

§. 23. *Feudorum origo non eſt a Romanis deſumenda.*

Quoniam vero origo cujuſque rei potiſſima pars eſt, de Feudorum origine nunc ſermo inſtituendus. Ea autem, quemadmodum & cetera hominum adinventa, non ſtatim emerſere; ſed lente incœpta, ſenſim in dies incrementa, ac diutur-

no

no demùm uſu ſortita ſunt perfectionem; Neque ab univerſarum Gentium jure deducenda ſunt, ſed a quarumdam inſtitutis. Quænam eæ fuerint, inter Juris Feudalis conſultos non convenit. Plurimas hac de re ſententias exponit Thomas Franzius in Diſputatione *de Feudorum origine, & progreſſu theſi XI.*, quæ legitur poſt Struvii *Obſervationes Feudales juxta ordinem Syntagmatis Juris Feudalis*. Feuda a Romanis profecta fuiſſe, putat inter alios Arnoldus Corvinus. *Jus Feudale per aphoriſmos ſtrictim explicatum lib. I. tit.* 1; atque non Clientes, nec milites limitaneos, verum eos, qui in Romano Jure *homines* latine, *Vaſallos* Langobarda voce dici occepiſſe. *Cujac. obſ. VIII.* 14., *& in Prælud. Feud.* Sane, quod *hominium* ex latini ſermonis ingenio, barbare *homagium* dicitur. Adhæc *hominum* vocabulo, quorum frequens in libris Juris mentio, *L.*2. *C. de Epiſcop. & Cleric. L.* 1. *C. de Commerc. & mercat. L. un. C. de conduct. & Procurat. Fiſc. lib.* 11. *L.* 1. *&* 4. *C. de dignitat. lib.* 12., veniunt actores, cuſtodes, procuratores, emphyteuticarii, & precarii poſſeſſores. His concedebatur olim poſſeſſio ad tempus; poſt-

poſtmodum in perpetuum. Corvinus ſcripſit, non a Romanorum Clientibus Feudorum originem repetendam, uti ſentiunt Budæus in *l. Herennius 63. ff. de evict.*, & Zaſius in *princ. Tract. Feud.* Hi namque minime belli onera ferebant; ſuaque poſſidebant prædia non uſusfructus jure, ſed pleno. E contrario Vaſallorum conditio eſt, ut in militiam eant, vel vicarium mittant, vel Domini ærario certum cenſum inferant (§.3.*pag.6.*), qui *Heribandum* dicebatur a caſcis Germanorum vocibus *Here* exercitus, & *Bandum* edictum, ſeu citatio: adeout hac voce deſignaretur citatio ad exercitum, & quandoque pecuniaria pœna edicto propoſita, ſi quis non obtemperaſſet. Inſuper ait Corvinus, non eſſe Feuda a militum limitaneorum inſtituto, uti putat Viglius *tit. Inſtit. de milit. teſtam.* His enim licet adſignarentur agri limitanei, ſeu in limitibus hoſtium, ut majori, alacriorique ſtudio eſſent jura ſua defenſuri. V. *Lampridium in vita Alex. Severi* & *tit. C. de fundis limitbrophis*: eos tamen illi optimo etiam jure, ſive allodii, ſibi habebant, nullam fidem, hominiumque debentes. Giphan. *de J. Feud. cap.* 2. Veteranis quoque

que militibus devictarum prædia Gentium concedebant Romani; quod præſertim a Marco Antonio factum Auguſti ævo, Suetonio teſte, in *Auguſto cap.* 13. Quod vero nec iſti, nec *homines*, quos Corvinus memorat, ullo fidelitatis fœdere tenerentur, hæ imagines potius, ac ſimulacra quædam Feudorum, quam Feuda videri debent. Duaren. *de Feud. cap.* 3. Qui igitur veram Feudorum inſtitutionem Romanis tribuunt, placide in eorum ſomniis quieſcere ſinamus.

§. 24. *Sed a veteribus Germaniæ Gentibus.*

Doctiores conſentiunt, Feudorum originem fere rudem Germanis, & Francis populis, augumentum Gothis, perfectionem Langobardis deberi; adeout, qui Carolum Magnum primum auctorem venditant Feudorum, turpiſſime hallucinari videantur. Et vero Vandali, Allemanni, Burgundiones, Gothi, Franci, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, quæ partes optimas Imperii Romani bello occuparunt, ſuas ſingulæ leges, aut mores de Feudis non minus, quam Langobardi, habuere; uti tradit Hugo Grotius *de J. B. & P.* *lib.*

lib. II. cap. 7. nu. 21., *& Hiſtor. Gothor. Vand. & Langob. prolegom. V.*Giphan. *tr. de J. Feud. cap.*2.; qui tamen, quoad Gothos attinet, cum Grotio haud convenit. Re quidem vera nulli mortalium fide, armiſque præſtitere Germanis, ut intelligere eſt ex Tacito. Militibus idcirco præcipue; tum etiam iis, qui aliis Reipublicæ muneribus vacabant, Principes illi ſub fidei nexu officia, vel prædia concedebant. Adhæc mos erat Borealium Gentium, ut nemo terræ glebam, niſi Principis beneficiò poſſideret. Bodinus *de Rep.II.* 2. Quare Franci, ut ait Alteſerra *de orig. Feud. cap.* 1., *rerum potiti in Gallia prædia diviſere Ducibus, & Militibus, idque beneficiario jure ſub lege fidei, & ſervitii, priuſquam Langobardi Italiam attigiſſent*. Etſi vero Ducatus illi, Caſtellaniæ, & Comitatus heredibus nonniſi ex privilegio deferrentur, Feuda tamen erant, cum Feudorum eſſentiam fides conſtituat (§.3. *pag.*7.). Struvius *Hiſt. J. Feud.* §.4. Thomaſius *de orig. Feud.* Inſuper ſolis veteribus Germanorum legibus de re Feudali cauta nonnulla inveniuntur. *V. Frid. Lindebrog. in Cod. legum antiquar.* Poſtremo nomina, & formulæ in Feudali Jure maximam partem Ger-

ma-

runt primum ; deinceps etiam a Rothari , & poſterioribus Regibus ſcriptæ leges. Alboinus quidem, Umbria victa, ejus Metropolim Spoletum in Ducatum erexit. Pari modo in Liguriæ , & Venetiarum Provinciis Duces conſtituit . *Sigon. de Reg. Ital. ad ann.* 570. *Paul. Warnefr. III.* 7. Diviſaque in diverſos Ducatos Italia, tantum terrarum ſibi Rex reſervavit, quantum nominis veneratio , poteſtatiſque ſplendor poſtulare videretur. Warnefrid. *de Geſt. Lagobar. III.* 16. Hinc enatum Regis *Demanium*: & hinc Feuda *Curtis*, & *extra Curtem* (§. 18.) ; tum *Guardiæ* , & *Gaſtaldiæ* (§. 21.) . Quæ igitur Regiones a Langobardis occupatæ fuerunt, ejus Gentis *Duces*, ab Alboino inſtituti, in rebus qua civilibus, qua militaribus, moderabantur : Regnoque ad Autharim delato , quoad Italiam Tranſtiberinam attinet, is, ſupremo ſibi reſervato dominio, Ducibus pariter Urbes conceſſit, quas ad virilem ſtirpem ſolummodo tranſmitti voluit : redituum vero illis medietatem tribuit, aliam ſibimet ſervavit. Sigonius *de Regno Italiæ* . Quoniam vero *Duces* non ſingulis Urbibus, ſed univerſæ Regioni præerant (§.16.) , ſubjectos habebant *Comi-*

mi-

mites; niſi quod quidam fuere Comites, qui uni Regi ſuberant. Comitibus parebant *Sculdaſii*, qui ſingulis vicis juri dicundo in ſolis pecuniariis cauſis, ac levioribus delictis, erant addicti; a quibus ad Comites jure ordinario appellabatur. Duces vero, Comiteſque in omnibus negotiis jus ſine provocatione dicebant: ſolummodo a Comitum *placitis* ad Duces, a Ducibus ad Regem extra ordinem provocabatur. Tum ii reditibus, qui ex Ducatu, vel Comitatu proveniebant, ut domini fruebantur; quæ uſusfructus ſpecies e Germanorum moribus orta, *utilis dominii* nomine deſignatur. Colligendis vero reditibus Regi reſervatis *Caſtaldi*, ſeu *Caſtaldii* præfecti fuere. Hanc vocem Amerbach. ad *Capit. Caroli M.* compoſitam eſſe putat a Germanica *Guaſt*, quæ latine *Curtis* eſt, & *halden*, ſeu *tenere*. *Guaſtald* hac ſignificatione eſt *tenens Curtim*, ſive pagum. Nam vox *Curtis*, & *Cortis*, olim ſpatium ante domum denotabat; poſtea domum ipſam, & univerſum prædium. Hinc Rotharis leges ſub titulo *de homine in Curte aliena noctis tempore invento*, *&* *de Curtis ruptura*. Poſtea, uti & olim apud Romanos, ad ſignificandum pagum adhibita:

bita: tum etiam Tribunal Regis, vel Ducis. Adeo veteres vocabulorum inopia laborabant! Sunt etiam, qui putant, vocem *Gaſtelder*, ſive *Gaſtaldar*, profectam a Germanica *Gaſteller*, quæ ſignificabat *præponere*, *conſtituere*. Ita eſt *Gaſtald*, *proprie poſitus*, *qui vicem gerat*. Grotius *in ſyllab.* Legitur vero *Gaſtaldus*, *Gaſtaldius*, *Gaſtaldio*, *Gaſtaldeus*, *Caſtaldus*. Murat. *Diſs.* 10. Peregr. *Diſſ.* 8. *tomo V.* Mentionem *Sculdaſiorum* mox fecimus. Nimirum *Sculdais* dicebatur Judex oppidi, Ballivus, ſive villicus. Paul. Warnefrid. *Lib. VI. de Geſt. Langob. c.* 24. Ita Leges Luitprandi *tit.* 20. §. 1. *ſi quis cauſam habuerit*, & *Sculdahis ſuo cauſam ſuam dixerit*: ubi indeclinabilis ea vox occurrit; ſicuti & in Charta Langobardica apud Ughellum *tom. VIII.* Alibi invenitur *Sculdachius*, *Scoldaſchius*, *Sculdaſius*, & *ſculdaſſia* pro hujus Pedanei Judicis diſtrictu. Tum *Scultetus*; & *ſcultetia* pro Sculteti præfectura, dignitate, vel officio. Ita Jus Feudale Saxonum *cap.* 41. *Feudum in villa ad ſcultetiam collatum hæredat Scultetus in ſuum filium*, *quamvis careat ſcuto bellico*. Miror autem Hotomanum has voces non ſuboluiſſe in Tractatu *de Verbis*

D *Feu-*

Feudalibus. Satis de Tranſtiberinæ Italiæ regimine Langobardo. Quod vero ad Ciſtiberinam attinet, quæ modo Regnum Neapolitanum eſt, cum antea Ravennatenſi Exarchatui, & Orientali ſubiiceretur Imperio, Autharis anno 589. armis devicit, Regnoque Italiæ adjecit, ſi quaſdam excipias ad mare Regni Civitates. Ducatum Beneventanum inſtituit, ejuſque Ducem Zotonem creavit, ſibi tantum ſuperioritatis jure reſervato. Deinceps Ducatus iſte omnes ferme Regni Provincias complexus eſt, atque in *Comitatus*, & *Gaſtaldatus* diviſus. Jannon. *IV.* 2. Pratill. *Diſſert. de Comit.*, *&* *Gaſtald.* Duces autem Beneventani, quia belli, paciſque jure gaudebant, libere reditus adminiſtrabant, indicebant tributa, ſine appellatione judicabant, nec *Regios Miſſos* admittebant, Summi Principes videri poſſent: & tamen nonniſi majores Italici Regni officiales erant. Non enim hereditario jure Ducatus Beneventanus deferebatur, ſed ex Regum Italiæ arbitrio, atque electione: eoque perduelles excidebant. Sane Duces vice ſacra gubernabant, nec erant jure legis condendæ, cudendæque monetæ decorati. Murat. *Diſſ.* 27. Beneventani Duces

ces itaque Ciſtiberinam Italiam gubernarunt ; nulloſque Comites , niſi unum aut alterum Capuæ crearunt : omnem vero provinciam pluribus *Gaſtaldis* regendam dedere , quorum munus vel anno , vel Ducum arbitrio durabat . Gaſtaldi vero reditus pro Ducibus colligebant , & juri dicundo , non ſecus ac tranſtiberini Comites , præerant : iiſque Sculdaſii ſuberant . Atque Gaſtaldorum alios Civitatum regimini præpoſitos , alios prædiis , Villis, Curtibus, & rebus Regis , vel ex ipſis Langobardicis legibus ſatis ſuperque liquet . *Lib. II. tit. 9. L.* 2. *Lib. I. tit.* 34. *L.* 1.. At anno *963*. Beneventana Dominatione tripartita , in Principatum nempe Beneventum , Salernitanum , & Capuanum , Comitum apud nos numerus excrevit . Jannon. *lib. VI. & ſeq.* Hi autem Ciſtiberini Comites ſolis fruebantur reditibus ; minime vero juriſdictioni præerant, uti Tranſtiberini . Quare ſæpenumero occurrit , in una eademque Urbe & Comitem fuiſſe, qui reditibus fruebatur , & Gaſtaldum , qui jus dicebat . Deinceps quibuſdam Comitibus & juriſdictio demandata fuit : hinc dicti *dignitate Comites* , *munere Gaſtaldi* : Sicuti cum poſtea in perpetuum

 ali-

alicui Comitatus conceſſus fuit, is dictus eſt *Comes*, *&* *Dominus*. Ergo in Langobardorum imperio omnia ferme munera, & *territoria* nexu fidelitatis, & fiduciariæ poſſeſſionis poſſidebantur: Italia duplici poteſtate adminiſtrata fuit; *immediata*, dum Regi, *mediata* dum parebat Ducibus. Grotius *in Prolegom. Hiſt. Gothor.* Pancir. *Var. I.* 90. Duces vero, Comites, Gaſtaldi, in edictis Langobardorum Regum, officiales erant, ac Juſtitiæ adminiſtri; adeout prima Feudi inveſtitura *pro ſe*, *&* *heredibus*, anno 968. in noſtro Regno, Pandolfi fuiſſe perhibeatur. *V.* Ciarlant. in *Samnii Hiſtoria*. Sæculo autem XI. collapſis Langobardorum, Græcorumque viribus, hæ noſtræ Regiones victricibus Nortmannorum armis, ſignisque paruere. Hoſtienſis *II.* 58. *V. Chronicon Cavenſe ad annum* 1030., *tum Baronium*, *&* *Sigonium*. Robertus Guiſcardus *Dux Apuliæ* ſalutatus eſt; iſque ſi non ſcriptas tulit leges, ſaluberrima certe induxit inſtituta. Præcipue, quod ad rem noſtram facit, Feudorum numerum auxit; ſibique a Nortmannis, qui Urbes, quas inter ſe jam partiti erant, & veluti Reguli domi, militiæque gubernabant, fidelitatem jurari cura-

curavit. Tum quas Civitates a Græcis, vel Langobardis capiebat, opulentioribus ſibimet reſervatis, Nortmannis, & Langobardis ipſis jure Feudi conceſſit. At hujuſmodi Comitibus, & Baronibus nullam juriſdictionem, imperium nullum dedit: Nam Judices per omnem Ducatum conſtituit, *Bajulos*, ſeu *Ballivos*, quibus ipſe præerat, ſelectioribus quibuſdam Proceribus, ac Baronibus in conſilium adhibitis; quæ *Curia Ducis* fuit. Bajulos autem fuiſſe in Urbibus prætoris officio, & nomine illuſtres, conſtat ex Chronico Siciliæ apud Marten. *tom.* 3. *Anecd.*, ubi Bajulus Panormi *Prætor* vocatus fuit. Et in Regni Conſt. *III.* 10. *Bajuli Dominorum* dicuntur, quibus aliquid agendum a Dominis ſuis demandatum eſt. V. Cangium. Generatim apud Nortmannos *Bajuli*, *Balii*, *Baili*, & *Ballivi* dicebantur quicumque, quibus alicujus rei, potiſſimum publicæ cura, & adminiſtratio credebatur. Conſt. *Pervenit.* Conſt. *in aliquibus*. Conſt. *ſi quando contigerit*. Conſt. *Bajuli locorum*, & paſſim. Deinceps ne hilum quidem a Majorum inſtituto Riccardus Capuæ Princeps; & Rogerius Siciliæ Comes deſciverunt. Quare ſub Nortmannis nulla amplius occurrit

 men-

mentio *Caſtaldorum*, & *Sculdaſiorum*. At ſicuti, peracta Beneventani Ducatus diviſione, Occidentis Imperatores inveſtituras de *Comitatibus*, ac *Principatibus* noſtrarum Regionum ſub homagii, ſervitiorumque pactis juratis conferre cœperunt; ita Nortmannorum Primores, omnibus uſi Regalibus, *Ducis*, & *Comitis* titulis non ſub nexu fidelitatis, atque hominii, ſed allodii libertate initio gaviſi fuere. Tantam vero Nortmannorum fortunam peroſus Henricus II. Imp., Italiam ingreſſus eſt; atque ab eo ſuorum Comitatuum belli jure quæſitorum inveſtituram, & infeudationem Nortmanni excepere. Ubi autem rei ſumma ad Rogerium Regem pervenit, is an. 1140. leges tulit; omniaque regalia jura ad ſe pertinere ſanxit; Comiteſque, & Barones, qui aliquid de Regalibus habebant, alienare non poſſe, ſed ad militaria ſervitia ob ea eſſe obligatos. Conſt. *Scire volumus*. Propterea omnes Feudorum conceſſiones in tabulis deſcribi curavit. Falcandus apud Muratorium. *Rer. Italic. tom. VII.* Adhæc Rogerius idem Magiſtratus per univerſum Regnum conſtituit; nimirum Juſtitiarios, qui rebus capitalibus, & Camerarios, qui pecu-

cuniariis controverſiis, & publicæ pecuniæ colligendæ præerant, quibus Bajuli ſubeſſent. Conſt. *Juſtitiarios*. Tum ſeptem *Regni officia* creavit, omni pene Baronibus imperio, atque juriſdictione denegata. Attamen quidam Barones extitere, quibus ob ſingularia merita, tantum *juriſdictio* permiſſa fuit; ut Bajulum conſtituerent, & judicem ex iis, qui a Rege eſſent probati; utque pœnas, ſportulaſque perciperent. Conſt. *de quæſtion.* Deinceps ab Andegavenſibus & *imperium* Baronibus demandatum fuit, non feudi jure, ſed officii, & magiſtratus. Tandem Aragonenſes Reges cœpere etiam Feudi jure concedere. Afflict. ad Conſt. *contingit interdum*, & ad Conſt. *occupatis*. Interea obſervandum, a Nortmannorum ævo ad nos uſque, adeo Feudorum naturam, ob nimiam noſtrorum Principum liberalitatem, immutatam eſſe, ut tot privilegiorum cauſa vix hodie Feudum ab allodio ſecerni queat. Sed ne longior hic ſim, ex latebris civilis hiſtoriæ, ut mihi videtur, Feudorum apud nos ortus, progreſſuſque eſt derivandus.

§. 26. *Potiſſimæ cauſſæ, ob quas Feuda inducta.*

Erui ex dictis non incommode poteſt, præcipuam cauſam, ob quam Feuda inducta, militiam fuiſſe. Appoſite *de moribus Germanorum cap.* 13. Tacitus pluribus tradit, Germanos Principes, amplo comitatui ſtuduiſſe, quem ad bellum conduxerint, & ex bello aluerint. De illis Comitibus perbelle ſcripſit: *infame in omnem vitam, ac probroſum, ſuperſtites Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri; ſua quoque fortia facta gloriæ ejus adſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnabant; Comites pro Principe.* His, utpote *Fidelibus*, conceſſa poſtea a Principibus prædia fuere ſub lege fidei, ac ſervitii militaris; ut non ſolum ſtrenua eorum opera ſuſtinere bella, verum etiam devictos poſſent in fide & officio continere. Id confirmant vel ipſæ Feudales leges, in quibus Feuda propter militiam conſtituta, Vaſallique *milites* ſæpenumero dicuntur. *II. F.* 21. 22. 23. Et Molinæus *Comment. in Pariſ. Conſuet. tit.* 1. Francos terras marte ſuo occu-

cupatas in Feudum conceſſiſſe ex hiſtoricis monumentis deducit. Tum Langobardos Autharim Clephonis Regem ſibi ſtatuiſſe; eumque Ducibus urbes, dominio ſupremo ſibimet reſervato, propter eamdem rationem dediſſe, ſcribunt Paulus Diaconus *de Geſtis Langob. III.* 8. Warnefridus *III.* 16. Aymonius *III.* 35. Regino *Chron. Lib. I.*, & Guido Pancirolus *Theſaur. Var. lect. I.* 90. *circa finem*. Sane quoniam ſua non defuit ſingulis temporibus novarum rerum excogitatio; & novæ inventæ poſt Romani Imperii majeſtatem cogitandi imagines, novæque conſtitutæ vivendi regulæ, cum Septemtrionales Gentes e patriis ſedibus erumpentes, arma victriceſque copias per Italiam præſertim, amœniſſimum voluptatis domicilium, circumtulerunt; hinc, ut dictum eſt, inter Barbarorum arma, atque incurſiones (*ita ex adverſis ſecunda naſcuntur*, ait Plinius *in Paneg.*) Feuda ortum duxere, quaſi opportuna captandæ benevolentiæ, parandique auxilii inſtrumenta. Nimirum Principes, ut quæ occupaverant, non ſine valido patrocinio cuſtodirent; quæ inhiabant, non ſine facilitate aſſequerentur; quamque in alios inferebant injuriam, a ſe ipſis caute averterent,

cum

cum ope, conſilio, fide, ac conſtantia eorum, quos ſuis legibus ſubmiſerant, indigerent; collatis in eoſdem *beneficiis*, ipſos militarium laborum præcipue ſocios, & conſortes, addita jurisjurandi religione, ſibi adjungebant; quemadmodum elegantiſſime ſcribit more ſuo, in Oratione de Juris Feudalis laudibus, noſter Joſephus Aurelius de Januario. Facit, quod perbelle ait *de brevitate vitæ* Seneca: *melius beneficiis Imperium cuſtoditur, quam armis*; & quod de Veterum præmiorum generibus habet *Petr. de Greg. in Syntagmate Juris parte II. Lib.* 19. *cap.* 3. Quin Principum beneficentia præmia etiam ampliavit ad filios *L.* 1. *& de fil. official. Lib.* 12. Agnovitque hanc paterni meriti tranſmiſſionem in filios Romana pariter Reſpublica, Cicerone teſte in fine *Philippic.* 14. Idipſum bene cautum Feudali Jure, ſuo loco patebit. Feuda igitur ad ſubditorum fidem, præcipue pro bellorum periculis fortiter ſubeundis, inducta fuiſſe, certo credendum eſt. Re quidem vera nulla ſunt propugnacula certiora, nullæ validiores arces, quam ſubditorum erga Principes benevolentia, & fides. Bodinus *de Rep. IV.* 7.: nihilque ad imperii defenſionem aptius eſt, teſtibus Impe-

peratoribus Lothario, & Friderico *II. F.* 53., *&* 55., quam in promptu habere nativos, & bene inſtitutos milites, ſibique addictiſſimos. E contrario obſervare eſt, primam Romani Imperii everſionem non aliunde initium ſumſiſſe, quam quod exteræ Nationes, videlicet Gothi, mercede conduci cœperint, atque in auxilium vocari. Ita exteris occaſio data proprias domi vires ſcrutandi, tum etiam evertendi. Turcæ pariter a Græcis Imperatoribus in auxilium acciti, Orientis Imperium occuparunt. Tholoſan. *de Rep. lib.* 11. *c.* 3. At Veneti, teſte *Machiavell.*, feliciſſimos tunc ſe in bello præſtitere, cum ex Veneta Gente collectis exercitibus pugnarunt, ſuiſque armis vinci, quam alienis victores eſſe maluerunt. At parumper redeamus ad Tacitum. Quos *Principes* ipſe appellat, Germani, cum in noſtris Regionibus adventarunt, dixere *Seniores*; quæ vox Italicam peperit *Signore*; & latine reddita *Dominum* ſonat in libris Feudiſticis, qui poſt Italicæ linguæ ortum exarati fuere. Proinde *II. F.* 16. legitur: *Si inter Dominum, & Vaſallum de Feudo orta fuerit contentio, per Pares illius domus, ſicut Lex Corradi dicit, dirimatur*. At in lege Corradi eſt: *Si*

Si contentio emerſerit inter Seniorem, & Militem. F. Hotoman. *Lib. III. tit.* 4. §. 2. Præterea *II. F.*5. adeſt ſacramenti formula: *Ego juro, quod ero fidelis, ut Vaſallus Domino*: eadem vero proſtat apud Aymonium *V.* 24. *Domino Seniori meo Carolo ſic fidelis ero, ſicut homo ſuo Seniori.* Quos autem Tacitus *Comites* dixit, Germani Langobardi apud nos dixere *Vaſſos, Valvaſores*, & Itali *Vaſallos*; & *Minores Vaſſi*, ac *Valvaſini* dicebantur Beneficiati, Fideles, ſive Clientes, non qui a majori Domino Feudum acceperant, ſed a Comite, Barone, vel *Majori Vaſſo*, ſeu *Majori Valvaſore*. Hæc prævertere opportunum duxi: de his enim vocibus mox ſermo redibit. Alia Feudorum inductorum videtur cauſa, quod Germani victores proprio inſtituto, ſub nexu feudali fundos quoſdam devictis reliquerunt. *Langobardos, Alemannos, & Francos dominatum rerum omnium ſic occupaſſe, ut nemo terræ glebam, niſi eorum beneficio poſſideret; Romanos vero, ut ceteros fere populos, captivos ſuos in ſervitutem redegiſſe*, ſcribit Bodinus *de Rep. II.* 2. Eo accedebat, quod cum ſequiori ævo pecunia pro militum ſtipendiis deeſſet, Langobardi Feuda in locum ſtipen-

dio-

diorum ſubſtituere. Alia demum cauſa videtur, quod plerumque ipſi rerum domini, ſe bonaque ſua, ut incolumes forent, Principibus, atque Eccleſiæ Pontificibus ſub Feudali nexu ſubjiciebant. Hinc enatum inter Feuda *data*, & *oblata* diſcrimen. De Regno Neapolitano videſis Auctorem Hiſtoriæ Civilis *IV.* 1., & Montanum *in Prælud. Feud.* Poſtquam vero *beneficia* induerunt *feudorum* naturam, ſatis non eſſe videbatur ſimplex fidelitatis jusjurandum, nempe *hominium*, ſeu *homagium planum*; & inſtitutum fuit homagium feudale quibuſdam vallatum formulis ſollemnibus. Monteſquieus *XXXI.* 32. Cangius v. *hominium*, & *fidelitas*. Deinceps remiſſæ homagii ſollemnitates fuerunt, minime vero jurisjurandi formulæ. *II. F.* 7. Præterea Germanicus beneficiorum uſusfructus evaſit patrimonialis proprietas; quæ vocabulorum defectu *utile dominium* audit. Freccia *de ſubfeudis Lib. II. cap. ſed ut verius*. Hotoman. *Diſp. de Feudis cap.* 4. Ipſaque beneficia in commercio, ac ſucceſſione eſſe cœperunt: adeo ut non ſolum politici regiminis, ut antea, verum etiam Civilis Juris objecta evaſerint. Principes inſuper fuere impa-

pares iis mercede augendis, qui *in vaſſaticum* ſe ſe commendabant. Adhæc Eccleſia ſervitiis feudalibus explendis adigebatur; ac jusjurandum fidelitatis ejus epiſcopi præſtabant; omni ſpe devolutionis Feudi a Principibus amiſſa. Cæteros effectus inſtitutionis Feudorum, ubi ſe offeret opportunitas, diſquiremus.

§. 27. *Jus Feudale commune.*

At Feudalis juris, quod a conſuetudine potiſſimum pendet, facile non eſt primordia invenire. Vulgo creditur, a Langobardorum uſu, Conſtitutionibus, Prudentum Reſponſis, rebuſque judicatis primum extitiſſe. Altius a Germanis, & Francis ea repetit, & rectiſſime Struvius. Generatim de Langobardorum Jure, inſtitutiſque repetendum eſt, iis olim pro legibus fuiſſe Avorum exempla, & conſuetudines. At Rex Rotharis, id recto prodeſſe regimini ratus, circiter annum 638. „ *Langobardorum leges, quas ſola memoria, & uſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemque ipſum EDICTUM appellari fecit;* ait Paulus Warnefrid. *de Geſt. Langobard: IV.* 44. Alias dein-

deinde addiderunt leges quatuor Langobardi Reges Grimoaldus, Liutprandus, Rachis, & Aiſtulphus. Clementer vero, prudenterque liberum fecere veteribus Italiæ indigenis, hoc eſt Romanæ Gentis reliquiis ſibi mixtis, atque ſubjectis, Romanis legibus adhuc uti; adeo ut Luitprandus edixerit *L. VI. cap.* 37., Notarios non Langobardas leges tantum, verum Romanas etiam callere. Has fuiſſe Juſtinianeas vel ex eo patet, quod in controverſia de quibuſdam Eccleſiis, & Monaſteriis inter Aretinum, & Senenſem Epiſcopum (uterque Epiſcopatus in Spoletano Ducatu fuit), ad Codicem & Pandectas provocatum eſt. Murat: in *Antiqu. Italicis Diſſ.* 44. *&* 74.: tametſi per ea turbarum, atque ignorantiæ tempora, moribus potius, inſtitutiſque ex Jure Juſtinianeo depromptis, quam ſcriptis legibus, Italos uſos fuiſſe, crederem. V. Struvium *in Hiſt. Juris Gothici*, *&* *Langobardici* §. *6. &* 7.. Franci deinceps cum anno 774. in Italia imperare occœpiſſent, Carolus M., ejuſque poſteri Italiæ Reges, ſimulque Auguſti, ne vix quidem ab eo inſtituto receſſerunt. Cumque novi incolæ, propriis legibus aſsueti, huc adventaſſent,

ſent, iis vel libertas conceſſa, ut ſuis uterentur. Fuerunt hæ, *Francorum* lex, ſive *Salica*; *Ribuaria*, ſive *Ripuaria*; *Bavarica*, ſive *Bajoarica*, & *Alamannica*; quibus addenda Francorum *Capitularia*, quæ non omnia obligaſſe Italici Regni incolas, ſed dumtaxat ea, quæ in Langorbardicæ Legis Corpus juſſu Regum inſerebantur, probat Muratorius in *Præfat. ad Leg. Langob. Tomo I. par. 2. Script. Rer. Ital.* adverſus Hermannum Conrigium *de orig. J. German. cap.* 17., Stephanum Baluzium *Præfat. ad Capitular. num.* 21., & Pagium *in Critica Baroniana*. Poſt Carolinos Auguſtos ſucceſſere Guido, Lambertus, Berengarius I., tum tres Ottones, Henricus I., Conradus I., & Henricus II. Reges Italiæ pariter, & Auguſti, qui novam aliquam legem in Langobardicarum Corpus intulere. In tanta legum varietate quiſque palam facere debebat, cujus ipſe eſſet gentis. V. Muratorium *d.loco*, *& in Antiquitatibus Eſtenſ. c.* 13. Quoad vero Jus Feudale attinet, illud pariter inductum moribus, diu diſperſum, incertumque vagabatur, nec in unum corpus digeſtum. Prima privatim ejus inita collectio Sæculo forte XI. ex incerto auctore

ctore in Germania. Mox ſequutum Jus Feudale Saxonicum, & Alamannicum ex Conſtitutionibus Caroli M. & inſequentium Imperatorum. At Langobardicum primo Gentis moribus, tum Principum Conſtitutionibus, rerumque judicatarum exemplis, mirum non eſt, ſi et olim, & hodiedum *commune* dicatur. Langobardos enim glorioſe ad ferendas leges acceſſiſſe, coactis undique Regni ordinibus, maximopere commendat Guntherus, Friderico I. coævus. De iis ait,

Gens aſtuta, ſagax, prudens, induſtria, ſolers,
Provida conſilio, legum, juriſque perita.

Concinnarunt vero *Uſus*, ſive *Conſuetudines Feudales* Itali Juriſconſulti Gerardus Niger, & Obertus de Orto, Conſules Mediolanenſes, uti adparet ex inſcriptione. *II. F.* 1. Hi, qui *ſapientes Civitatis* dicuntur *II. F.* 25. ſub Imp. Friderico I. circa annum Chriſti 1150. floruere. Quatuor de Feudis libri iiſdem tribuuntur. Cujacius vero putat, primum librum a Gerardo exaratum; alterum, ac tertium ab Oberto; ultimum ab incertis auctoribus. Duarenus incertos omnium credit auctores, quibus Feudorum Italiæ conſuetudines exponere cordi fuit. Certe ſubſequente poſt Gerardum,

& Obertum tempore, ab aliis ſpeciales quædam conſuetudines adjectæ. Quare illi quandoque uti teſtes afferuntur. *II. F.* 25. Poſtea Hugolinus ex hac compilatione, tum Conſtitutionibus Conradi I. Salici, utriuſque Friderici, nec non ex iis quæ uſu Fori immutata jam erant, immo ex quibusdam Pontificum decretis. *I. F. 6.* Horn. *Juriſprud. Feud. cap.* 1. §.37. unum corpus in duos libros tributum confecit; ac Juri Romano additum *Decima Authenticorum collatio* appellatum fuit: eoque utimur (etſi publica auctoritate non expreſſe firmato), veluti Jure communi Feudali, niſi municipale obſtet. *V. Franciſc. de Andr. in ſua Feudali Diſputatione; & Jannon. Lib. XIII. cap. ult.* Qui vero Hugolinum de Porta Ravenate *Decimæ Collationis* auctorem eſſe exiſtimant, Odofredo *ad Auth. Caſſa C. de S.S. Eccleſ.* teſtimonium denunciant. Inquit enim; *Imperator Federicus Junior miſit has Conſtitutiones* (Novellas Juſtiniani) *ad Civitatem iſtam* (Bononienſem) *Doctoribus legum, ut aptarent eas ſingulis legibus ſuis congruentibus titulis: & ita fecerunt Doctores, dum convenerunt in S. Petro, quum iſtam aptaverunt ad legem iſtam. Poſtea quid*

quid fecerunt? Dominus Hugolinus poſt nonam Collationem poſuit librum feudalem, & omnes Conſtitutiones Friderici antiqui, & junioris, & aliquas leges Conradi Imp. & vocatur Decima Collatio. Huic Odofredi teſtimonio fidem denegat Buderus *Amœnit. Jur. Feud. Obſ.* I., quia Friderici II. ætate nullus vixerit Hugolinus Jurisconſultus, cui digerendarum auctoritate Imperiali Conſuetudinum Feudalium poteſtas tribui potuerit. Verum recte obſervat Knorrius *in Obſervatione nova de Hugolino Decimæ Collationis auctore*, Odofredum e ſchola Azonis prodiiſſe, Bononiæque anno 1265. (non morte multatum, quod Bulgarum adverſarium ſuum in diſputatione interfeciſſet. Sigonius *in Hiſtoria Bononienſi L.* IV.) diem ſupremum obiiſſe. Hinc quis crederet, Odofredum ignoraſſe, quos habuerit collegas, aut Hugolinum quemdam effinxiſſe? Quod vero floruerit Friderici II. ævo Hugolinus Archigymnaſii Bononienſis publicus Juris interpres, probatum dedit in *Diurnis Halenſibus* Knorrius idem; qui tamen in eo aſſentitur Budero, juſſu, & auctoritate Friderici I. Collectionis illius, quæ *Decimæ Collationis* nomine venit, deli-
E 2 nea-

neationem fuiſſe factam ; ſed auctam poſtea , & demum ab Hugolino Juſtiniani Novellis adjectam . Nam ex vetuſtiſſimo Kalendario Bononienſi ad annum 1168. conjici poſſe adſeverat, Fridericum I. miſiſſe *librum Feudorum* Bononiam ; quem gloſſis illuſtravit Hugolinus de Porta Ravennate, quemque poſt novam Collationem poſuit Hugolinus de Presbyteris, adjectis, quae deerant, Friderici I., Conradi , & Friderici II. Conſtitutionibus. Num fecerit juſſu Friderici II. , aut hujus confirmatio acceſſerit , altum in Odofredo ſilentium . Id nihilominus niti fide ſcriptorum Sæculi xv. , & xvi. , qui Fridericum II. *feciſſe quemdam librum de Feudis* aſſerunt , putat mox laudatus *novæ obſervationis* Auctor . At eorum ſcriptorum auctoritas non ſatis tuta mihi videtur. Sæpe enim vel olim dubitatum , an authenticus fuerit Feudorum liber. Jus itaque Feudale, Corpori Juris adjectum, quod antiquiſſimum a Compilatoribus dicitur *I. F.* 1. §. 1., Langobardorum moribus præcipue adſcribendum . Profecto continet Langobardica verba *Feudum* , *Vaſallus* , *ſoldum* , *ſelonia*, aliaque ſexcenta. Tum ex eo conſtat, feudales cauſas dirimendas ju-

re

re Langobardorum, non Romano, niſi in ſubſidium. *II. F.* 1. §. 1. Giphan. *Diſput. Feud. II. nu.* 9. At Hugolini ſæpe diligentia, ſæpe etiam intelligentia, deſideratur. Ut res emendatius prodiret, præ cæteris Antonius de Pratoveteri Bononienſis Juriſconſultus, juſſu Sigiſmundi Imperatoris, Feudorum ſex libros nova ratione, & methodo compoſuit. Magnus quoque Cujacius novam Juri Feudali in quinque libris concinnato, formam dedit. Atque in primum vulgatæ editionis librum minime manum admovit. Verum ſecundo, qui 58. capitulis conſtat, quædam extraordinaria ex Aluarotto, & Ardizone addidit; eumque in tres libros diviſit. Ita ex Cujacii tributione, libro ſecundo finem imponit titulus 22., tertius conſtat titulis 23., & 24.: quartus non clauditur titulo 58. vulgatæ editionis (qui tamen apud Cujacium eſt 72.); ſed, quia continet etiam dicta extraordinaria capitula, ad titulum 109. excurrit: quintus tandem liber, qui Imperatorum Conſtitutiones continet, titulos 16. habet. Nihilominus Hugolini collectio in ſcholis, & Foro plurimum eſt habita; & *Conſuetudinum Feudalium* nomine, ſua origine in-

 ſpe-

ſpecta, hodie quoque venit. Conradus namque primus in Italia de Jure Feudorum quaedam ſcripto ſanxit: cetera uſus erant Italorum, Germanorumve. At nequit una, alterave Imperatoria Conſtitutio Conſuetudinibus inſerta, harum naturam, atque indolem immutare. Proinde hoc Jus referendum ad non ſcriptum, ſive conſuetudinarium: *II. F. 7. & 9.*, licet in ſcripturam redactum. Nec obſtat *L. 36. ff. de LL.*: ibi enim non quod non liceat, ſed quod neceſſe non ſit ſcribi conſuetudinem, dicitur. Diſtinguendum vero inter ſcripturam publica auctoritate, & privato tantum ſtudio memoriæ cauſa exaratam. Nam illa legalem Conſuetudini auctoritatem tribuit, ſi de Principis voluntate conſtet; non item iſta. Stryk. *Exam. cap.* 1. §. 11.

§. 28. *Et Regni Neapolitani*.

Nunc nomotheſiam Regni noſtri feudalem exhibeamus. Principio tam Langobardicæ, quam Nortmannicæ Gentis conſuetudinibus, nimirum jure Feudali non ſcripto, Noſtrates uſos fuiſſe, vel ex Falcando arguitur; dum petitionem expo-

nit,

nit, a Proceribus Regi Guilelmo factam, ut novis legibus abrogatis, *reſtitueret conſuetudines, quas Avus ejus Rogerius Comes, & Robertus Guiſcardus prius introductas obſervaverat*. Feudales autem Nortmannorum mores ſcripti erant in quibusdam libris, quos illa ætas *defetarios* appellavit. Cum vero in Panormitano incendio eſſent combuſti, quod Guilelmo I. maximopere diſplicuit (non levem enim Regia jura jacturam patiebantur. *Hugo Falcand. & Inveg. Hiſtor. Panor. ann.* 1161.); ſtudio, & cura Matthæi Notarii, qui eos memoria retinebat, reſtituti fuere. Primus, qui apud nos de Feudis ſcriptas tulit leges, Rogerius fuit: alias ſubſequuti Neapolitani Reges dedere. Cum vero Fridericus II. & Imperator fuerit, & Siciliæ Rex, ejus Conſtitutiones, quas in Feudorum libris legimus, ad Jus commune pertinent; quas in Regni Conſtitutionibus, ad municipale. Nortmanni etiam Langobardorum Feudales leges retinuerunt: nec mirum; cum & ipſi a Germaniæ oris, ubi fiduciariæ poſſeſſiones natæ erant, huc adveniſſent. *Franc. de Andr. Diſp. Feud. cap.* 11. §. 4. Quocirca apud nos cum patria ſilerent Jura, controverſiæ finiebantur ex litigantium

condìtione, vel Jure Romano Juſtinianeo (cujus ſtudium licet elanguerat Langobardorum ævo; renatis tamen litteris vel idem Fridericus II. eo quammaxime delectatus fuit), vel Langobardo, quod ad Sæculum uſque xv. ſtetiſſe, teſtis eſt de Afflictis in *Conſt. Puritatem num. 9.* Vide noſtram *Juris Hiſtoriam*, Inſtitutionibus Neapolitani Juris, Italice conſcriptis, præfixam. Interim Conſtitutiones, Capitula, Privilegia, & Pragmaticas de re Feudali ſanctiones plurimas habemus. Ex iis inferius patebit, vario uſum fuiſse hoc Regnum a Nortmannorum ævo ad nos uſque, Feudali jure; adeo ut natura Feudorum, eorumque nomotheſia maximam ſubierit varietatem.

§. 29. *Juris Feudalis auctoritas; & qua ratione Feudales controverſiæ decidendæ.*

Ex Feudorum itaque inſtituto nova exorta Juriſprudentia, multis quidem æquitatis adjumentis exornata. Hinc multa novarum legum cum antiquis innocens diſcordia, cum ratione admirabilis convenientia. Diximus, Feudorum libros, licet ab Hugolino nulla publica auctoritate compoſitos,

ſitos, nec per eam confirmatos, vim tamen legis habere, quia tacite a Supremis Poteſtatibus recepti ſunt, ac probati. Quare etiam Clerici Feuda poſſidentes, ex iis obligantur: ipſoque Canonico Jure coram Feudi Domino conveniuntur, *cap. ex tranſmiſſo 6. & ſeqq. X de Foro compet.* Proinde merito vapulat Carolus Molinæus à Veſsembecio: perperam enim, & contra omnium Gentium uſum, exiſtimat, poſt inveſtituram, & loci conſuetudinem, non Jus Feudale, utpote privata auctoritate collectum, ſed commune Romanorum ſervari oportere. Rectus, ac verus ordo, quo in controverſiis feudalibus decidendis progrediendum, hic eſt, ut primo inſpiciantur litteræ inveſtituræ; & quidem antiquiores *II. F. 2. cap. 1.* Si enim in poſterioribus quid immutatum fuerit, præſumitur ex errore factum, niſi Domini, & Vaſalli nova conventio evidenter appareat. Schrader. *par. V. c. 2. n. 39.* Deinde ſi pactum in inveſtitura deficiat, vel litis ambiguitatem non tollat, Jus municipale inſpiciendum, & Conſuetudines loci, in quo Feudum ſitum eſt, non in quo contractus celebratus; ſi de ipſo Feudo quæſtio ſit: ſin de contractu agatur, loci contractus ſervanda con-

conſuetudo, *arg. L.6. ff. de Evict.*, etſi aliud in Domini Curia obtineat. Roſenthal. *cap.* 1. *concl.* 3. Profecto non eadem ubique beneficiarii Juris natura. V. Chriſtin. Baſtineller. *Diſser. de Præjud. Princip. ex abuſu Jur. Feud. Langob.*, qui probat, Italiæ leges Feudales minime Germaniæ aptari poſſe. Quod vero dictum eſt, locorum Conſuetudines ſpectandas eſſe in Feudalibus controverſiis, expoſcit, ut animadvertamus, communiter receptum eſſe, Feuda non ſubiacere diſpoſitioni Conſuetudinum Neapolitanarum: habent enim ſua ſpecialia jura tam communia, quam municipalia. Napodan. *in Conſuet. ſi moriatur in verſ. ſi quis, vel ſi qua n.*176. *& in Conſ. in quibus reb. habeat locum quarta. verſ. ſed in bonis feudalibus. num.* 13. De Ponte *conſ.* 50. *Lib.* 1. Molfeſ. *in comment. ad Conſuet. Lib. II. q.* 7. Profecto generali bonorum appellatione feudalia non comprehendi, patet ex *cap.* 1. §. *in generali. ſi de feud. defuncti cont. ſit inter dom. & agn. Vaſal.* ſc. *II. F.*26. Ac ſtatutum quodpiam, niſi expreſſe de bonis feudalibus loquatur, ad ea non porrigitur, ut tradunt Feudiſtæ per *cap.*1. §.*fin. de inveſt. de re alien. facta*, ſc. *II. F.*8. A-

de-

deundus Joh.Baptiſta Biloſta *Concl.Feudal.* *96.*ubi addit Octavius Biloſta, circa conſuetudines, ſive uſus Capuanæ, & Nidi, tum Procerum Regni, quod, cum eæ ſint pacta, comprehendere debent feudalia, modo fuerint Regio aſſenſu vallata. Præterea ſi locorum conſuetudines quoque deficiant, ad Hugolini collectionem, ſive Jus Feudale commune progrediendum. Struv. *th.* 13. Anton. *Diſs.* 1. *th.* 1. *lit.m.* Sed & contraria in eo occurrunt, quia diverſo tempore, diverſiſque Conſuetudinibus a privatis Compilatoribus, qui auctoritate decidendi caruerant, collectum. Ita ex.gr.*II.F.*17. *verſ. nam & illud. II. F.*28. §. *his conſequenter.* Atque hac in ſpecie nec id ſequendum, quod priore loco poſitum eſt, nec quod poſteriore, probat Strykius *Exam. Jur. Feud. cap.* 1. §. 33., ſed obſervandum ſtatuit, quæ ſententia ceteris Juris Feudalis textibus, ejuſque rationi ſit convenientior: qua deficiente, ad Jus Romanum tum denique veniendum. *II. F.* 1.: quo ſpectant argumenta a liberto ad Vaſallum, ab emphyteuſi ad Feudum, & alia, quæ ſic procedunt, ſemper ac non adpareat diverſitatis ratio. Rittershus. *paratitl.Feud. Lib.* 1. *cap.* 1. *qu.* 3.

§.30.

§. 30. *Præcipui Juris Feudalis Interpretes.*

Cum igitur Juris communis Feudalis architecti tumultuarie opus exararint, ut nulla ferme ſit titulorum connexio; exactam ideo methodum licet non eadem ratione, multi præſtitere (§.27.*pag.69.*). Inter Interpretes autem Juris noſtri eminent, Jacobus Colombinus, Bulgarus, Pileus, Jacobus de Ardizone, Jacobus de Belviſio, Baldus, Carolus de Tocco, Curtius ſenior, & junior, Andreas Bonellus, ſeu de Barulo, Blaſius Morcone, Joh. Baptiſta Nenna, ~~Andreas Rampinus~~, Paris de Puteo, Andreas de Iſernia, Antonius de Alexandro, Matthæus de Afflictis, Scipio Capycius, Bartholomæus Camerarius, Marinus Freccia, Joh. Baptiſta Bilocta, Joſephus de Roſa, Cajetanus Ageta, Thomas de Marinis, Camillus de Curte, Horatius Montanus, Petrus de Fuſco, Seraphinus Biſcardus, Nicolaus Caravita, Franciſcus de Andreis. Floruere quoque Zaſius, Roſenthalius, Hannetonius, Scraderus, Gudelinus, Ritſchius. Et ſublato barbariæ velo, litteriſque veluti poſtliminio reverſis, Cujacius, Duarenus, Hotomanus, Eguinarius

rius Baro, Vultejus, Giphanius, Struvius, Shrykius, Lorber, Thomaſius, Chriſtianus Volfius; ſacra æternitati nomina. Rariora etiam opuſcula, & ſelectiſſima, quæ inter alia Jenichen conjecit in ſuo *Theſauro Juris Feudalis: Francofurti ed Mœnum anno* 1750., quæque heic indigito, adoleſcentium commodo, ſunt hæc. Tom.I. Helbachii *Via Juris Feudalis*. Speneri *Obſervatio de Feudalis Juriſprudentiæ nævis Hiſtoriarum ignorantiæ tribuendis, & per ſolidiorem ejus cognitionem eluendis*; ejuſdemque *Proluſio Academica de primis veſtigiis Feudorum in Germanica antiquitate perveſtigandis:* nec non *Obſervatio de Originibus Feudalis Juris ad conſuetudinem; minime vero ad Caroli M. inſtituta referendis*. Georgii Ludovici Boehmeri *Commentatio de ætate vetuſtæ collectionis Conſuetudinum feudalium, quam vulgo Libros Feudorum vocant*. Ejuſdem *Obſervatio de Beneficiis Romanorum*; necnon *Proluſio Academica de Feudis ex Veterum Francorum beneficiis enatis*. Knorrii *Obſervatio nova de Hugolino decimæ Collationis auctore*. Baſtinelleri *Diſſertatio de præjudicio Principum ex abuſu Juris Feudalis Longobardici*. Schaumburgii *Conjectura nova de au-*

auctoris veteris de Beneficiis vetuſtate. Gebaueri *Oratio de Feudorum laudibus*, ejuſdemque *Proluſio Academica de Feudorum origine*. Phil. Ferd. Jo. a Mundolsheim *Diſs. de Feudo Advocatiæ*. Menckenii *Diſſ. de Feudo ex pacto cum ſimulatanee inveſtitis alienabili*. Beni. Auguſt. Quehl. *Epiſtola de Feudo alternativo*. Hoffmanni *Diſſ. de Differentiis Feudi novi, & antiqui*. Ern. Jo. Frid. Mantzel *De eo, quod refert, Feudum eſſe vere antiquum, vel novum jure antiqui conceſſum*. Jo. Rudolphi Engau *Proluſio de Feudis Burſaticis*. Tomo autem II. proſtant, Roeſchii *Diſſ. de Feudis de camera, & caneva*. Waldſchmidtii *De feudis caſtrenſibus*. Ludwigii *De Feudo cenſuali*. Hildebrandi *De Feudo Clypeari*. Georg. Ludov. Boehmeri *de feudi communis diviſione*. Joſephi Antonii Schwilge *de feudo conditionato*. Deinlini *de feudo culinario*. Rehfeldtii *de Feudis in curte, & extra curtem*. Struvii *de dominio directo in territorio alieno*. Boehmeri *de Feudis Eccleſiaſticis*. Pesleri *de feudo fideicommiſſario*. Siegelii *de feudo femineo proprio*. Menchenii *de præſumtione feudi maſculini*. Hübneri *de feudo franco*. Gonne *da feudo Gaſtaldiæ*. Schultzii

zii *de feudo Gratiæ*. Rothii *de feudo hereditario*. Pagenſtecheri *Commentatio de feudis horrei*. Brückneri *de feudo informi, inprimis præſcriptione quæſito*. Baueri *de feudo inoffícioſe quæſito*. Buderi *de feudo Juriſdictionis*. Brunquellii *de feudo Kemi-natæ*. Crellii, *Utrum feudo legato ejus æſtimatio debeatur*. Gerckenrod *de feudis ligiis*. Jenichen *de feudo loricæ*. Conradi *de feudo manuali*. Denique Tomo III. leguntur, Zaeffelii *Diſſ. de origine feudorum oblatorum*. Lyncker *de feudo pecuniario*. Stryckii *de feudo pignoratitio*. Wilduogelii *de feudo Sculterico*. Gribneri *de feudis Vexilli*. Muratorii *de allodiis, vaſſis, vaſallis, beneficiis, feudis, & caſtellanis*, cui *inſertus eſt* Anonymi *Tractatus de feudis olim a Patriarcha Aquilejenſi conceſſis*; quæ diſſertatio, oleum, & lucernam redolens, legitur etiam in *Antiquitatum Italicarum medii Ævi Tom.I.* Tandem Joecheri *Proluſio de feudis Langbarum*. Digitum quandoque ad fontes tetendiſſe, inanis labor non fuit. Noviſſime in hunc Scriptorum ordinem referendi, Senkenbergius in *Prodromo Juris Feudalis*, Koppius in ſua *Hiſt. Juris*; & Caſp. Bitſchi. *Commentarius in uſus Feudorum*, quo elegantiorem Lango-

bar-

bardicæ leges non alium nactæ ſunt, ait Carolus Ferdinandus Hommelius in ſua *Litteratura Juris cap.* 5. Alii vero Scriptores, qui rerum Feudalium cognitionem antiquis ſordibus expeditam latiſſime promovere non ſunt dedignati, videri poſſunt in *Bibliotheca Juris ſelecta cap.*14., & *Selectiſſima Struvii*. Quare Feudorum Juri maximum cumulatum eſt decus ex tot Auctorum copia: ut barbarum, & veluti exotica veſte præcinctum, amplius dici nequeat. Quin damnandus eſt, qui cum ceteras Juris partes non ſine faſtu profiteatur, hanc reſpuat Juris publici nobiliſſimam. Nos interea in tres partes hæc elementa perſtringemus; ut prima perſonas; altera res; tertia demum feudales exhibeat actiones; reſecta inutilium controverſiarum ambage, quæ arti Juris noſtri tenebras pluſquam cimmerias offuderunt.

INSTITUTIONUM

JURIS FEUDALIS

PARS PRIOR

DE PERSONIS.

§. 31. *Prima perſonarum diviſio in allodiales, & Feudales.*

DIgnior in unaquaque diſputatione eſt Perſonarum cognitio, quæ in humanis actionibus primas partes agunt; & quarum gratia omnia natura comparavit: §. *in pecudum J. de rer. diviſ.*, juſque omne eſt conſtitutum. *L.* 2. *ff. de ſtatu hom.* Itaque de iis, poſtquam in prodromo tractatu jam de Feudis in genere egimus, impræſentiarum, tamquam de cauſa Feudorum efficiente, ſermo inſtituendus. Perſonarum autem diverſa jura ex variis earum diviſionibus emergunt. Quoad rem Feudalem ſpectat, prima ex Jure barbarico Perſonarum diviſio eſt, quod aliæ *allodiales*, aliæ *Feudales* cenſeantur. Illæ bona poſſident optimo, plenoque ju-

 re,

re, ab oneribus Feudorum immunia: hæ poſſident jure uſusfructus cum fidelitatis nexu (§. 5.). Feudales præterea perſonæ ſunt, vel quæ Feudum dare, vel quæ adquirere poſſunt. Primum de illis, utpote dignioribus, agamus: deinde ad has veniemus.

CAP. I.

DE PERSONIS FEUDUM CONCEDENTIBUS.

§. 32. *Feudum conſtituit verus rei dominus.*

GEneralia vocabula Feudum concedentis ſunt, *Patronus*, *Dominus*, *Senior*. *II. F.* 17., *&* 18. Et *Senior* quidem non ab ætate, ſed a Langobardorum voce *Segnore* (§.26. *pag.*59.); *Dominus* vero, non tam ob directum dominium penes ſe retentum, quam ob fidem, & ſervitia ipſi honoris cauſa a Vaſallo debita. Ludwell. *ſynopſ. pag.*91. Feudum autem dare poteſt Dominus rei, in qua alteri illud conſtituitur. *II. F.* 3. Proinde ſervo id nullo pacto permittitur. Nunciare tamen ſervus poteſt alteri Feudum

dum a Domino datum; quod per quemlibet alium, ceu internuncium, fieri poſſet. *II. F.* 3. §. *ſed utrum*; & *II. F.* 58. §. *item inveſtitura*. Tum alienarum rerum adminiſtratores, veluti Syndici, tutores, curatores, ac ſimiles, qui ratione adminiſtrationis ſuæ loco Domini ſunt *L.* 7. §. *ſi tutor ff. pro empt. L. ſi tutor* 17. *ff. de adminiſtrat. tutor.* (nimirum non revera domini, ſed *vicedomini*, ſi adminiſtrant, non ſi ſpoliant *L.* 11. §. *ſi tutoris ff. quod vi*), in rebus, quibus præſunt, feuda de novo conſtituere non poſſunt: at non vetantur renovare, quæ jam conſtituta a dominis fuere. Id Procuratori adhuc permiſſum eſt, cui in genere conceſſa eſt *libera* bonorum adminiſtratio. Herm. Vultejus *de Feudis I.*3., & *in Exegeſi Feudali. V.II.F.* 3. De Procuratore diſtinguendum eſſe Interpretes putant; quod ſi ſpeciale mandatum habeat, & antiquum, & novum Feudum concedere poſſit: ſi generale, antiquum confirmare queat, novum dare prohibeatur.

§. 33. *Modo bonorum ſuorum legitimam adminiſtrationem habeat.*

Dominus præterea liberam rei adminiſtrationem habeat, oportet. Quod enim infeudatio ſpecies alienationis eſt; Borch. *de Feud. c.* 5. *n.* 42., qui ratione quadam ſuas res alienare vetatur, is nec per feudum poterit inveſtituram facere; quod expreſſe cavetur *II. F.* 3. Propterea, quorum conſenſus vel nullus eſt, vel pro nullo habetur, id ii facere impediuntur: ita infans, furioſus, & prodigus, cui bonis eſt interdictum; nam in Jure, quoad obligationes pertinet, furioſo comparatur. *L. is cui ff. de V. O.* Schrad. *de Feud.* Mutus autem, & ſurdus Feudum dare poſſunt, vel accedente Curatoris conſenſu, & Judicis decreto, ſi animi ſenſa exprimere nequeant; vel ſoli, ſi mentem ſuam aperire valeant. Struv. *cap.* 5. *th.* 4. Porro nonnulli conſentire poſſunt, non vero Feudum conſtituere. Ita, qui patriæ ſubſunt poteſtati; ſi tamen agatur de adventitio, vel profectitio peculio. Hotom. in dictum textum *II. F.* 3. per *L. fi.* §. *filius autem C. de bon.*, *quæ lib.* In caſtrenſi vero,

ro, & quaſi, patresfamilias cenſentur. *L.* 2. *ff. ad S.C. Macedon.* Immo poſſunt rem in feudum dare de adventitio extraordinario, ob liberam, quam habent, inter vivos adminiſtrationem; & ob ceſſans præjudicium paternum. *Nov.* 117. *cap.* 1. Quare etiam 25. annis minores, Feudum legitime conſtitutum, renovare minime prohibentur. Hotoman. *Diſput. Feud. c.* 13.: at de novo conſtituere non poſſunt, ne cum auctoritate quidem, vel conſenſu tutorum, curatorumve. Nam expreſſum in Jure eſt, rerum immobilium alienationes, ſine magiſtratus decreto, a tutore, vel curatore fieri non poſſe. *L. magis puto ff. de reb. eor. & toto tit. C. de præd. & aliis reb. minor.* Atqui nonniſi in rebus ſoli, aut ſimilibus poteſt proprium Feudum conſtitui. *II. F.* 1. §. *ult.* (§. 3. *pag.* 4.) Quid, quod alienatio, quæ per infeudationem fit, ſimilis donationi eſt; hinc ne ex decreto quidem valet *L. fin. C. ſi minor major fact.*? Excipe, ſi minoris, puta Principis, dignitas, feudum cuidam de novo concedi poſtulet. Pari ratione maritus dotales res, quamvis earum dominium, aliquo ſaltem ſenſu, habeat, in Feudum dare nequit: quoniam Lex Julia fun-

di dotalis alienationem ei interdixit. *pr. tit. J. quibus alien. licet, vel non.*

§. 34. *Sine ſexus diſcrimine.*

Utrius vero ſexus ſit perſona, quæ jus Feudale in ſua re conſtituere velit, nihil intereſt: nam & id feminam poſſe, expreſſum eſt *II. F.* 3. §. *penult.*: quæ ſententia benignior dicitur *II. F.* 91. Forte olim diſſentio hac de re fuit. Nam ex lege Rotharis *Lib. II. LL. Langob. tit.* 10. *l.* 1., ſine *mundualdi* licentia alienare mulier non poterat. Quare *II. F.* 3. §. 1. dicitur: *Feminam etiam novi feudi inveſtituram facere poſſe, plerique conſentiunt.* Intellige, modo mulier ſit, quæ alienare poteſt, & modum obſervet ei in alienatione præſcriptum. Quibusdam enim in locis adverſus Romanum Jus invaluit, ut conjux ſit in mariti poteſtate, & ſine ejus conſenſu nec contrahere, nec quippiam aliud jure agere queat. Petrus Gudelinus *in Commentario de J. Feudor. parte* 2. *cap.* 1. *num.* 3., *&* *de Jure noviſſimo I.* 7. Tyraquell. *in tract. de Legib. Connub.* Cur vero ſoluta mulier, juriſque ſui, in Feudum dare poteſt, cum in Vaſallos, & rerum Feudalium

lium nomine competat jurisdictio ? cautum enim *II. F. 46.*, ſi inter duos circa Feudum controverſia oriatur, omnino diſceptationem ad dominum Feudi pertinere : jurisdictionis vero exercitium, uti & aliorum civilium, publicorumque munerum, virile eſt. *L. 2. ff. de R. J.?* Nimirum mulieres non natura prohibitæ fuere a munere juris dicundi. *L. cum Prætor. §. pen. ff. de judiciis* ; ideoque conſuetudine mutari id potuit, *arg. §. ſed naturalia. J. de J. N. G. & Civ.* Et ſane mutatum eſt *c. dilecti x de arbitris:* adeo ut illæ per viros, quod ſequioris ſexus verecundia ſuadet, officium illud valeant exercere. Proinde hac in re per Feudales Conſuetudines a Romano Jure quodammodo deſcitum.

§. 35. *Et tam Eccleſiaſticæ perſonæ.*

Feudum dare poteſt Summus Pontifex ; duplici quidem nomine ; & quia Eccleſiæ ſuæ præeſt, & quia bona ſæcularia poſſidet. Stryk. *Exam. J. Feud. cap.* 5. Doctores vero Cardinalium conſenſu opus eſſe autumant, ſi ab eo res magni momenti ſit concedenda. *Cap.* 17. §. *de-*

cet. de Elect. in 6. In vacante autem Imperio Pontifex Feuda conferre poſſe, affirmat Grotius *de J. B. & P. Lib.II. cap.9. §. 11. cap. un. Ne ſede vacant. in Extravagant. Joan. XXII.*; negat omnibus ingenii nervis,quaſi pro aris ac focis pugnans Conrig. *Diſſ. de Germ. imper. Rom. cap.* 12. Sed & reliquæ perſonæ Eccleſiaſticæ de Eccleſiæ ſuæ bonis Feudum dare poſſunt (§.15.), uti Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus, modo hæc conſuetudo alicubi recepta ſit. *I.F.*1.*pr.*, *&* 6. : adminiſtrationem enim dumtaxat ii habent rerum Eccleſiaſticarum. Propterea in *cap.* 1. *de Cler. qui inveſt. fac.*, verſ. *& ideo ſciendum*, negatur Archiepiſcopo Mediolanenſi poſſe dare in Feudum, quod tempore introitus ſui *in dominico* invenerit; hoc eſt in *demanio* Eccleſiæ, & deſcriptum in libris menſæ ipſius Eccleſiæ. Nec dictis refragatur, quod cautum eſt *I. F. 6.*, Epiſcopum, vel Abbatem non poſſe Feudum dare de rebus Eccleſiarum. Id dilucide ita explicat Cujacius *princ. Lib. I. Feudor.* Urbanus II., qui Pontificatum Maximum iniit anno a Chriſto nato 1110., Placentiæ Concilium habuit, quo declara-

tum

tum eſt, nullam fieri ordinationem ſine titulo, unde ſe ordinatus alere queat. Horum titulorum res, prædia nimirum ad Clericorum ſubſtentationem deſtinata, prohibuit Pontifex, Epiſcopos, ceteraſque Eccleſiaſticas perſonas in Feudum dare. Ceterum ante Urbani II. Conſtitutionem omnes omnino res Eccleſiaſticas in Feudum dari conſueviſſe, vel ex eo liquidum fit, quod tituli ſolummodo ex ea excepti fuere. Tum res ceteras præter titulos, poſt eam ſanctionem in Feudum dari potuiſſe, argumento eſt Lateranenſe Concilium, ducentis ferme poſt annis habitum, in quo nullæ aliæ res Eccleſiaſticæ in Feudum dari ſunt prohibitæ, præter decimas, & primitias. Nimirum Decimas a Nobilibus poſſeſſas, ex donatione, ut veroſimile eſt, facta majoribus, qui Eccleſiam adverſus Religionis hoſtes propugnarunt, *Duaren. de Sacris Eccleſiæ miniſteriis VII.* 1., vetuit Lateranenſe Concilium deinceps in laicos transferri. Didac. Covaruv. *Reſolut. I.* 17. In rebus autem Eccleſiæ nondum infeudatis, in Feudum a Prælato concedendis, Summi Pontificis quoque conſilium accedat oportet, poſt Conſtitutionem Pauli II. in *Extra-*

vag.

vag. Ambitioſæ, an. 1468., qua alienatio quævis rei Eccleſiaſticæ, inconſulto Summo Pontifice, inhibetur. Feudi autem conſtitutio, etſi concedens directum retineat dominium, quoad fructuum adſignationem, alienatio videtur (§. 33. *princ.*). Qua Pontificis auctoritate opus non eſſe, Doctores tradunt, in rebus exigui momenti; nec quando difficulter adiri, & conſuli poteſt Pontifex; nec ubi conſtet, alienationem eſſe neceſſariam, & in mora periculum. Barboſ. *P.*2. *J. Eccleſ. cap.*30. In rebus porro, ut ajunt, infeudari ſolitis, laxior Prælatis poteſtas competit, adeo ut canonicæ ſollemnitates exulare queant: cum earum infeudatio non primum inſtituatur. Servandæ vero locorum conſuetudines, ac jura, ſi quæras de conſenſu Capituli. Alibi namque neceſſarius non eſt in rebus infeudari ſolitis. *I. F.* 1. *&* 6. *princ. Gail. II. obſ. ult.* Uultej. *I.* 3. Alibi etiam in iis requiritur: maxime ſi cauſa Eccleſiæ alia videatur, ac quæ fuit primæ conceſſionis tempore. Gudelin. *de Feud. II. c.* 1.. Quod ſi neceſſitas, ne rurſus in Feudum dentur, exigat (forte quia Eccleſia depauperata); arbitrium illud Eccleſiaſtico Prælato jure merito de-

ne-

negatur. Ritterhus. *I.* 5. *quæſt.* 12. Quid ſi ſedes vacet? Profecto ubi res infeudari ſit ſolita, Capitulum Prælati perſonam repræſentans, reinfeudare poterit. Nihil enim innovat; ſed id facit, quod facere debebat Epiſcopus. Rittershus. *I.* 5. *quæſt.* 1. Jam vero res infeudari ſolita iiſdem conditionibus alteri in Feudum concedenda eſt. *Cap.* 2. *X.* *de Feud.*. Et poteſt quoque concedi cognato, & neceſſario: modo idoneo; itaüt fraus abſit, *per textum in cap. relatum X. de teſtam.* & in *cap. dilectus X. de præbend. & dignit.*, quicquid Gloſſæ Juris Feudalis dicant. V. Uultej. *I.* 3. Clarum §. *Feudum*, *quæſt.* 13., & Fachin. *Controv. VII.* 31. Cavendum enim eſt, ne non tam Eccleſiæ utilitas, quam propinquorum ſpectari videatur. Alciat. *de præſumpt. reg.* 1. *præſumpt.* 29. Gudelinus *de J. Noviſſ. VI.* 14. Neque dictis obſtat Nov. 120. *cap.* 5. §. *Oeconomis*, & *Auth. quibuſcumque C. de SS. Eccleſ.* Ea ſiquidem Juſtiniani ſanctio de Oeconomis concepta eſt; quorum poteſtas poteſtate Prælatorum certe minor: tum de rebus in emphyteuſim dari non ſolitis accipienda eſt. Struv. *d.loco n.* 5. Ceterum ex veteri conſuetudine

res

res infeudari ſolitæ dijudicantur . Hujus conſuetudinis tempus nonnulli *immemoriale*, ſive *ultra memoriale* requirunt ; quod nimirum omnium memoriam hominum excedat: alii quadraginta annorum : triginta alii. Rectius Fachinæus *Controv.VII. 67. & 68.*, de tempore, actibuſque dubia, ad Judicis religionem, atque arbitrium rejicit finienda. Vultejus. *Lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 14. Quandoque infeudari ſolita res pro tali non habetur, puta, ſi cauſa, ob quam initio in Feudum data fuit, ex.gr. ut excoleretur, ceſſet cum revertitur ; vel ſi reverſa, Eccleſiæ, ſive Prælati menſæ, ut ajunt, incorporata fuerit. Quod ſi Clerici de bonis propriis Feudum conſtituere velint , libere procul omni dubio id poſſunt : modo ad Eccleſiam devoluta non ſint , uti dicendum de monachis , qui cum ſe ſuaque Deo dicarint , nil proprii habent. *Auth. ingreſſi C. de SS. Eccleſ.* ; licet in Juris noſtri libris *Clerici* quandoque nominentur . *II. F. 26.* Quoniam igitur alienatio bonorum Eccleſiaſticorum vetita eſt , ne damnum Eccleſiæ inferretur; & permiſſa ex neceſtate, utilitate, ac pietate; Bingha. *Orig. Eccleſ. V. 6.* ; ideo Feudis inductis , in

Feu-

Feudum bona concedere, e re ſua futurum Eccleſia exiſtimavit. Certe neceſſitate impellente, vel ſuadente utilitate, ut Barbarorum incurſionibus obviam iret, modo pro rerum ſuarum defenſione, modo pro ſubſidiis Regibus præſtandis, certam militum manum Eccleſiæ alebant, tertia ut plurimum prædiorum portione iis conceſſa. Carnot. *ep.*28.: & bona ſua in Feudum concedebant; non tamen neglectis ſollemnibus, pro bonorum Eccleſiæ alienatione a Jure inductis. Thom. *par.II. Lib.III. cap.* 21. Sixtin. *de Regal.* I. 4. A Coſta *in cap.* 5. *Lib.II. Decr.* Accedit, quod tot Feudis Eccleſiæ ditatæ, ea in ſubfeuda concedere non vetabatur. Hinc *Capitanei*, *milites*, *&* *Caſati*, tres erant Eccleſiæ Vaſallorum ordines; quos ad jura Religionis, vel Reipublicæ tuenda, Epiſcopi, cum res poſcebat, in unum convenire adigebant. *Caſare* autem erat in Feudum dare. V. Freſnium, & Lindebrogium *in Gloſſar.* Vetuſtiſſimis Regni temporibus Abbatem Caſinenſem Feuda concedere conſueviſſe, conſtat. Abbas de Nuce *ad Lib. III. Chron. Leon. Oſtienſ. cap.* 52. *&* 60.

§. 36.

§. 36. *Quam ſæculares; nimirum Regni Capitanei, Duces, Comites, Marchiones.*

Si rei dominium, & adminiſtrationem habeant, in Feudum dare quoque poſſunt *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, qui proprie *Regni*, *ſeu Regis Capitanei* dicuntur *I. F.* 1., quique hiſce honorificentiſſimis titulis a Supremo Principe, Rege, vel Imperatore ornantur, atque inveſtiuntur (§. 16.). *Ducis* vocabulum apud Romanos militare fuit; ab exercitu ducendo profectum: & poſteriori ætate adhibitum etiam ad eos ſignificandos, qui Imperii limites a Barbarorum incurſionibus tuerentur(§. 16. *pag.* 27.). Alteſer. *de Ducibus. I.* 1. Apud Francos, Germanoſque *Dux* dicebatur, qui copias belli tempore ducebat. *Lex. Aleman. cap.* 35., juſque in Provincia dicebat. Ducum juriſdictio anguſtis initio finibus continebatur, ita ut *graviora negotia Regio Tribunali reſervarentur*. Ziegler. *de J. Majeſt. I.* 28. Conrig. *Exercit.* 4. *de Ducibus*; & patet ex formula conferendi Ducatus, apud Lindebrog. *form.* 32. At labentibus Sæculis, Regiam fere auctoritatem affectarunt; ut excepta *ſuperioritatis* recognitione, atque *homa-*

homagio, omnia ferme Regalia exercerent; Comitibus præeſſent; & *Miſſos* minime reciperent. Franc. Roye. *Diſſ. de Miſſis Dom. cap.* 7. (§. 25. *pag.* 50.) Quemadmodum vero initio nonniſi Provinciarum adminiſtratores erant; poſtea, inventis Feudis, eas cœperunt beneficiario jure poſſidere. In Italia pariter, anno 568. Longino auctore, plurimi *Duces* creati, qui Judices tantum erant. At ſub Langobardis *Ducis* dignitas *feudalis*, & *Vaſallitica*, ut ajunt, evaſit. Quin Autharis poſt decennii interregnum, proclamante populo, Rex ſalutatus, ut Ducum animos ſupremo aſſuetos dominio, ſibi alliceret, utque ii Græcorum incurſionibus obniti poſſent, univerſam iis poteſtatem, Majeſtatis jure ſibi reſervato, reliquit. (§.25.*pag*.49.). Hujuſmodi Ducatus Francorum politia quoque retinuit. Et circa Caroli M. ætatem *Duces* appellabantur, quibus duodecim ſuberant Comites. Jam ſponte ad *Comites* ſe ſe convertit oratio. Hi erant olim, qui comitabantur Proconſules, Præſides, Procuratores Cæſaris in Provincias euntes; & Juriſconſulti, qui Provincialium Magiſtratuum deligebantur aſſeſſores. Immo in Romano Imperio una-

quæ-

quæque ferme dignitas, & munus, Comitivæ titulo copulabatur: atque ante Conſtantinum M. *Comites* dignitate frui cœperunt. V. Claud. Salmaſ. *not. ad Trebell. in Macrino*; & Selden. *de titul. honor. par. II. c.*5. Jure autem Germanico erant, qui jus reddebant incolis Comitatus, ſeu territorii, & Civitatis ſuæ (cum Duces in Provinciis juri dicundo præeſſent). Heinecc. *Elem. Jur. Germ. Lib. III.* §. 7. Murat. *Diſſ.* 8. Procedente tempore Feudatarii etiam evaſere. In Italia *Comites* a Theodorico inſtituti, ut in minoribus Urbibus jus cuique redderent ſuum. Gothorum exemplo fortaſſis Langobardi, Comites Feudales urbibus regendis poſuere (§. 25. *pag.* 51.). Frequentiores tamen ſub Francis occurrunt. Ex his intelligere eſt, cur in libris Feudorum Comites ſint ordinarii Judices; itemque Præfecti Urbium: & recentiori ætate nihil aliud præſeferant, quam quemdam nobilitatis gradum, qui *Ducibus* eſt inferior; ſuperior vero *Baronibus*. Præterea *Marchiones* modo ita dicti tanquam Judices, quorum juriſdictio eſt certo loco reſtricta: modo tamquam dignitate militari fulgentes; appellatione ab equis deducta; nam *Marcb* barbaris tem-

temporibus *equus* dicebatur. Cujacius autem *de Feud. lib. I. tit.* 1. haud aſſentitur Alciato, qui *Marchionem* interpretatur Præfectum Equorum, ex veterum Gallorum, Germanorumque more, ut in bello ſingulos equites, qui belligerabant, cum equis ſequerentur alii duo, qui, Domini equo occiſo, ſuum ſubſtituerent. Marchiones certe in Jure dicuntur, qui ſunt *de Marchia* inveſtiti. *II. F.* 10. *Marchia* vero a Germanorum *March* dicitur, quod ſignificat *limitem*: finibus enim Imperii tuendis primitus præficiebantur Marchiones; ſive *Margraphii*, quaſi *limitanei præpoſiti*. Sigon. *de Regno Ital. Lib. IV.* Murat. *Diſſ. 6.* Marchionis autem vox, Romanis veteribus ignota, invaluit, cum Carolus M. Italiam univerſam in Ducatus, Comitatus, & Marchionatus diviſit. In noſtro Regno Feudalis iſthæc dignitas nonniſi ſub Aragonenſibus invenitur. Sub Langobardis enim, ac Francis, circa mare loca Græcis ſubiiciebantur, quibus Feuda ignota. Nortmannorum deinde propria virtute Regni fines longe lateque promoti, ac ſervati; ut *liminarcha* fere nullus fuiſſe videatur. Numero pauci Marchiones erant ſub

Alphonſo I. *Auctor. Hiſt. Civil. lib. XXVI. c.*7.: ac de iis primum occurrit mentio in Pragmatica Ferdinandi I. ann. 1466. De *Baronis* titulo autem hic ſupervacaneum non eſt pauca adtexere. Vox *Baro*, licet non memoretur in Feudali Jure, vetus tamen eſt in Italia. Deducitur vel a Βαρυς, quod *gravis* moribus eſt; vel a Βαρος, *pondus*; cum corporis pondere, ac natura aliis præcellere videretur; vel *Barones* dicti, quia ex Germaniæ moribus *pares* ſunt Comitibus. Id tentari poſſe, Uultejus inquit *cap.* 4. *nu.* 14. Medio ævo *Baro* notavit *virum*. Ita Legis Salicæ *tit.* 34., & Langobardæ *Lib. I. tit.* 9. Pithæ. *Adver. I.* 8. Quum vero ea ætate homines dicerentur *Vaſalli*; inde fortaſſe factum, ut nominarentur *Barones*, qui alibi *Vaſſi Dominici* audiunt: nimirum Proceres omnes, & Regni Capitanei, Duces, Comites, Marchiones. Hinc Sigebert *in Chron, ann.* 1160. *Capitales Barones ſuos cum paucis ſecum duxit; ſolidarios vero milites innumeros.* Hotoman, *de Verb. Feud.* In Regno noſtro *Baro* eſt, qui a Rege *Baroniæ* titulo Caſtrum obtinuit; in quo ſubfeudatarii ſunt, ab eo Feuda *quaternata ſecundum*
quid

quid habentes. *Conſt. poſt mortem III.* 25. Capiblanc. *in tit. de Baron. Baronia* namque univerſitatis nomen eſt, plura ſub ſe continens: proinde in Inveſtitura inſeritur clauſula, *cum ſubfeudis*. Tituli Baroniæ ſunt Comes, Marchio, Dux, & Princeps. *Principis* titulus in Feudorum libris ne quidem invenitur. Primum Arechis Beneventanus Dux eo uſus fuit. Qui vero Feudum ſine Baroniæ titulo poſſident, *Vaſalli*, aut *milites* nuncupantur (etſi quandoque tam Barones, quam Milites eodem *Baronum* nomine deſignentur), aut ſimpliciter *Feudatarii*. Capiblanc. *dicto loco*. Freccia *de ſubfeudis Lib. II. tit. quis dicatur Baro*. Mirum igitur non eſt, ſi Barones a Feudatariis ſeparentur in cap. *Prædeceſſorum tit. de occup. res deman.* Proprie *Feudatarius* dicebatur, qui Feudum 20. unciarum poſſidebat, ſcilicet, quod ſingulis annis 20. uncias dabat. Nec titulum Feudatarius habet; nec ſubfeudatarios, quaternata Feuda obtinentes; teſte eodem Freccia *de ſubfeud. Lib.II. tit. quis dicatur Feudatarius*. Andr. *in Conſt. ſi quis Baro III.* 13. Ceterum non eadem dignitas, & conditio erat, ſive Feuda, ſive allodia poſſidentium, uti ex Conſt. *Inten-*

tionis I. 10. Conſt. *Cultus juſtitiæ I.* 32. Capit. *etſi frequenter* , & Capit. *Prædeceſſorum noſtrorum* . Qui vero ex his Vaſallis digniores ſint , exponit Cruſius *de præcedent. IV.* 15: Ludevig. *Lib. I. Jur. Pub. opuſc.* 4. , & Freccia *de ſubfeudis Lib. II.* Verum poſteriori ætate *Vaſalli* pro *hominibus Feudi* uſurpari cœperunt .

§. 37. *Quin privati quique patresfamilias.*

At nedum hæ Eccleſiaſticæ, ſæcularesque dignitates Feuda concedere valent , ſed & privati patresfamilias, cujuſcumque fuerint conditionis ; modo pariter libere bona ſua adminiſtrent . Hinc communior opinio eſt , etiam Plebejum , vel Ruſticum recte Feuda conſtituere: Curtius *Tract. Feud. parte* 2. *num.* 12. Roſenthal. *cap.* 3. *concluſ.* 2. , a qua tamen recedunt Duarenus *in Conſuet. Feud. cap.* 6. *num.* 9. , Fachinæus *Controv. VII.* 74. , aliique exiſtimantes, id licere tantum dignitatem habentibus, ob textum *I. F.* 1. *princ.* At enim in hoc loco enarrantur quidem perſonæ, quæ Feudum dare poſſunt, non tamen ad eas hæc facultas reſtringitur . Id conſtat ex *I. F.* 7. , ubi aliæ perſonæ ,

quæ

quæ Feuda concedere poſſunt, recenſentur, nimirum *minores*, *ſive minimi Valvaſini*: & tamen harum nullum verbum in laudato loco *I. F. 1.* Conſtat id quoque ex *II. F. 3. princip.*, ubi in Feudum conſtituente ſolummodo requiritur, ut ſuorum bonorum adminiſtrationem habeat. In oppoſito textu vero eæ perſonæ enumerantur, quæ non in propriis, ſed Eccleſiæ, Regnive bonis Feuda dare poſſunt; de quibus magis dubium exoriri poterat. Sane Feudorum initia ita ſe habuere, ut Imperator, vel Rex quibuſdam Feuda conceſſerit; & hi rurſus ſuis Clientibus. V. Struvium *in ſyntag. J. Feud. cap. 5. aphor. 3.* At plebeii deinceps hac poteſtate prohibiti non ſunt: nam & omnes res ſuas alienare poſſunt. Conſequuntur inde Feudalem juriſdictionem, tamquam domini Feudi, *arg. II. F. 55. in fin.* Nec refragatur *L. 3. C. de Juriſdict.*, quæ, cum loquatur de juriſdictione competente ex jure Magiſtratus, cavit, eam privatorum conſenſu tribui non poſſe. Sed ea, qua de agimus, ſingulari Juris Feudalis diſpoſitione Domino Feudi competit; non jure Magiſtratus: eamque Jus ipſum tribuit, non vero privatorum Feuda conſtituen-

tium conſenſus. Tabor. *Comment. ad I. F.* 1. Quod autem dictum eſt, Feuda conſtituere cuilibet licere, ſic accipi cupio, ut ad fidei, obſequiique præſtationem dumtaxat beneficiarium quiſpiam ſibi obligare queat; non vero, quaſi titulos etiam dignitatis, qui Feudis annecti ſolent, poſſit concedere. Dignitatum enim collatio in Regalibus numeratur, non ſecus ac nobilitandi jus. Johan. Bacquet. *in lib., quem Gallice ſcripſit, de Jure nobilitandi cap.* 17. Eguinarius Baro *de Beneficiis II.* 1. Neque hujuſmodi poteſtas, niſi ſpeciali conceſſione, inferiori, ſeu Vaſallo alicui conveniet. Zaſius *Epitom. Feud. parte V. nu.* 11. (§. 16.)

§. 38. *Sed Jure noſtro Feudum dare nemo poteſt, niſi Princeps, ejuſve Vaſalli, cum ejus licentia.*

Quamvis generalis apud Feudiſtas regula ſit, ut quicumque liberam habeat ſuorum bonorum adminiſtrationem, ſi expreſſe in Jure prohibitus non reperiatur, infeudare poſſit (§. 32.); id tamen Foro parum congruere, ait Card. de Luca *in Feudorum ſumma cap.* 4. *num.* 64. Si enim

enim agitur de Feudis Regalibus, ac dignitatis, dictum eſt, eam facultatem nonniſi primi ordinis Principibus Regibuſque competere (§.16.). Adhæc, eam Juris Feudalis regulam, hucuſque elucidatam, apud nos ſub Nortmannis viguiſſe, diſerte exponit Marinus Freccia *de ſubfeudis Lib. I. tit. de antiq. ſtat. Reg. num. 69.* Firmatoque Monarchico regimine, ne quidem videtur Baronibus interdictum allodia ſua jure Feudi præbere. Eadem regula, Suevis imperitantibus, defeciſſe videtur: atque cautum, unum Regem de alode poſſe Feudum creare. Nam in primis Juriſdictio, quæ in Regalium cenſu venit *II. F. 56.*, a nemine prorſus, niſi cum Regis licentia, exercenda. Ita in *Conſt. ea quæ ad ſpeciale decuſ. I. 49.* Tum juſjurandum, quod a Vaſallo præſtandum eſt Seniori, *II. F. 5. & 6.* (§. 3.), nonniſi ſoli Regi, vel cum ejus licentia alteri, præſtari poteſt. *Conſt. Comite, vel Barone III. 24.* Rex denique eſt perſonarum Dominus. Ad rem Fridericus II. *Conſtit. ad ſubjectorum III. 11.*, *& Conſt. cum univerſis III. 7.* ſanxit, *ut in terris Demanii noſtri nulli omnino liceat Affidatos, vel Recomendatos habere.* Barones e-

nim ſub ſuo *mundeburdio* hujuſcemodi homines habere conſueverant. Ugell. *tom. VII. ann.* 1172. Innoc. III. *Lib.* 11. *epiſt. ad Acheruntinum Archiep.*, &, qui ſub Friderico II. vixit, Roffred. Benevent. *Lib. de ord. Judic. tit. de Villanis*. Sanxit etiam *Conſt. ſi dubitatio III.* 8., in dubio Vaſallos præſumi de Regis demanio, non vero Comitum, & Baronum. Idipſum ab Andegavenſibus cautum *cap. Prædeceſſorum noſtrorum*, & *cap. in ſingulis Civitatibus noſtris*. Ita abrogata Pipini lex *Lib. II. LL. Langob. tit.* 9. *L.* 1., qua omnibus arbitrium fecerat *ſe commendandi, ubi voluerint, ſicut antea in tempore Langobardorum conſuetudo fuit*. Et ita etiam reſtitutum a Friderico videtur Romanum jus, quo nemo prædiis, quorum nomine conveniebatur, poterat Potentiorum *titulos* figere. *tit. C. ne liceat Potentioribus patrocinium litigantibus præſtare* V. Mager. *de Advocat. armat.* Dilucidius autem idem Imp. *Conſt. quia frequenter III.* 9. cavit: *Nos etenim, qui ſumus Domini perſonarum, abſque noſtræ ſerenitatis aſſenſu, perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari*. Ut autem hujus Conſtitutionis mens intro-

troſpiciatur, recolendum eſt, apud Langobardos *ſervos* fuiſſe plures, quam apud Romanos: cuicumque enim licebat, ſe alteri in ſervitutem dare. *L.* 5. *Lib. III. LL. Langob. tit.* 9., ut taceam, ſæpenumero ob crimen, vel æs alienum, ſervituti addictos fuiſſe. *L.* 3. *&* 4. *Lib. II. LL. Langob. tit.* 33. Habuere Langobardi & *ingenuos*, & *libertinos*, pluresque manumittendi modos, uti ex Rotharii Conſtitutione *d. Lib. II. tit.* 34. *L.* 1. V. Murator. *Antiq. Italic. Diſſ.* 15. Habuere *adſcriptitios*, qui a prædiis ſeparari non poterant, quique Romano Jure *agricolæ*, *cenſiti*, & *coloni* appellati. *tit. C. de agricolis*, *& cenſitis*. In noſtris Conſtitutionibus *coloni* etiam, *ruſtici*, & *villani* dicuntur. Non omnes tamen adſcriptitios ſervilis conditionis fuiſſe, nullo negotio mihi perſuaſerim; ſed ex iis quosdam aliqua ſaltem libertatis ſpecie uſos. Cuiuſmodi inſtitutum quod ſub Nortmannis, ac Suevis retentum ſit, video ex Friderici II. Conſtitutionibus. De aſcriptitiis cautum eſt, ne ſine dominorum voluntate in clerum veniant (ſi ratione perſonæ ad ſervitia teneretur, non ſi ratione rerum, quibus dimiſſis, poſſunt ad ordines promoveri), niſi aliud poſtulet Ec-

clesiæ

cleſiæ neceſſitas; qua in ſpecie eorum filii etiam conditionis adſcriptitiorum erunt. *Conſt. adſcriptitios*, & *Conſt. errores*. Adſcriptitiis inſuper vetitum, veteri incolatu derelicto, ad alia loca migrare. *Conſt. quisquis de Burgenſibus*. Id tamen generaliter in ea Conſtitutione cavetur de iis, qui quavis ratione ad perſonalia ſervitia Principi, vel Baronibus obligantur, ſeu adſcriptitii ſint, qui *Villani*, ſeu non item, qui *Burgenſes* in Conſtitutione nuncupantur. Quare Angarii, & Perangarii nequeunt ſine Baronum conſenſu, ab eorum territorio decedere: Capycius *deciſ.* 118. Licet vero Sæculo XIII. ſervi inter Chriſtianos deſierint, Gudelin. *de J. Noviſ. I.* 4.; adeout in poſterioribus Regni legibus nulla ſit ſervorum mentio (de ſervis noſtrorum temporum, qui ex hoſtibus Chriſtiani nominis capiuntur, & de libertinis, quædam ſancita ſunt *Pragmaticis ſub tit. de ſervis*, *Pragm.* 2. *de nautis*, & *Pragm.* 3. *de exact. anim.*); uſus tamen ſuperfuit adſcriptitiorum. Hinc *ruſtici* in Conſuet. *ubi domus de J. Congrui*; ex qua patet etiam, adſcriptitios non omnino in cenſum ſervorum fuiſſe. Revertamur nunc ad Fridericum II. Is minime

per-

permittit libero homini ſe alteri in ſervitutem dare; vetuitque quemquam ſe ſe adſcriptitium alteri obligare, aut perſonam propriam quibusdam obſtringere ſervitiis. d. Conſt. *quia frequenter*. Inde deducitur, neque æris alieni, neque criminis cauſa licere, liberos homines ſervituti ſubjicere: tum angarias, ac perangarias ad regalia referendas; Regemque eſſe unum perſonarum dominum. Laudatam Conſtitutionem & hodie ſervari, teſtem do luculentiſſimum, Capycium *deciſ*. 119. At fidelitatis jusjurandum quædam eſt ſpecies ſervitutis; quam idcirco ſine Regis venia ſubire nemo poteſt. Hinc etiam libertatis favore, veteri more, ſi caſtrum, vel Civitas Feudalis vendatur, Vaſalli poſſunt pretium offerre, & ſe redimere, ut ſub immediata Regis juriſdictione, majori libertate fruantur. V. Tappia *Lib. VI. Jur. Regni tit. 9*. Roſa *conſul*. 2. Biloсta *Concluſ. Feud. cap*. 28. Germaniæ urbes ad libertatem quoque a Ducibus, & Comitibus proclamantes, vide apud Conrig. *Exercit. IV. de Ducibus* §. 30. His præfinitis concludendum eſt, hodie neminem ſive privatum, ſive Comitem, Marchionem, Ducem, aut Principem, poſſe in alodio

lodio ſuo jus Feudale conſtituere; ſed id licere uni Regi, vel cum Regis licentia, Vaſallo; niſi aliud in Inveſtitura expreſſum fuerit. Adi Choppin. *de Doman. Franc. Lib. III. tit.* 26.

C A P. II.

De personis Feudum adquirentibus.

§. 39. *Vaſallorum appellationes. Tum qui omnes expreſſe prohibiti non ſunt, Feuda accipere poſſe, oſtenditur.*

NUnc, ipſa perſonarum relatio poſtulat, ut quibus Feudum detur, videamus. Sed heic non loquimur de iis, qui inveſtiri poſſunt; cum id potius ad formam pertineat Feudi accipiendi, quam ad accipientis perſonam; quæ poteſt eſſe diverſa ab accipiente inveſtituram; imo ſervus quoque. *II. F.* 3. §. *perſonam vero*. Feudum adquirens, modo a fide Domino promiſſa, *fidelis. I. F.* 10., *&* *leudis* (§. 5. *pag.* 11.); & a patrono, quem agnoſcit, *clientulus* appellatur. *I. F.* 13.; modo a ſervitiis militaribus regulariter præſtandis, *miles*

I.

I. F. 22. ſæpe etiam *beneficiatus*, *Feudatarius*, & *Vaſallus*, vel a Germanico *vaſſen*, quod eſt ligare, vel a Gothico vocabulo *Waeſel*, quod obnoxium ſignificat. Struv. *cap.* 5. *th.* 12. (§. 23. *pag.* 42. *&* §. 26. *pag.* 60.). Jam vero duplicis generis *Vaſalli* ſunt; *Capitanei* nimirum, & *Valvaſores*. Ut enim humano corpori caput, ſic Capitanei Civilibus præſunt: & alio reſpectu Domini, alio Vaſalli cenſentur. Proprie Capitanei ſunt Duces, Marchiones, Comites (§. 36.). Improprie ſunt plebi, vel plebis parti gubernandæ a Principe, Comite, vel Duce præpoſiti; ut Cujacius definit *in c.* 1. *quis dicatur Dux*, *Marchio*, *Comes*, *Capitaneus*, *vel Valvaſor*, ſc. *II. F.* 10. Nimirum, qui ab aliqua Poteſtate inveſtitur, non de quadam ex illis tribus dignitatibus, ſed de minore, is ab Oberto inveſtitus eſſe dicitur de plebe, hoc eſt de Feudo tenuiori: quod ſi comparetur ad Feudum ſummarum dignitatum, quaſi plebejum videatur. Hinc temporis ſucceſſu *Capitaneorum* appellatio ad eos tranſlata fuit, qui proxime Ducibus, Marchionibus, Comitibuſque ſuberant; quique *majores Valvaſores* dicuntur *in T.* 1. *de natura feud.* Porro *Valvaſores* (ſive vox ſit dimi-

diminuta ex voce *Vaſſus* (§.26.*pag.*60.), ſive dicta a *valvis*, ſeu januis, ad quas apparere, & excubias agere tenebantur, ſive etiam a Germanico *Wall*, ſc. *propugnaculum*, & *Vaſt* ſc. *firmum*; cum iis fortalitium aliquod, *Caſtellum* nimirum, vel *Caſtrum* defendendum concrederetur) ſunt *majores*, *minores*, & *minimi*; atque hi *Valvaſini* dicuntur *I. F.* 7. Majores, quos mox dixi appellari etiam, licet improprie, *Capitaneos*, a ſummo Principe, vel Capitaneis Regni Feudum accipiunt. *Minores* ſunt, qui a Majoribus Feudum accipiunt; quod reapſe ſubfeudum eſt. Atque hi nobiles quoque ſunt: tametſi a Valvaſoribus Majoribus ignobiles Feudum accipere poſſint: neque propter id nobiles fiunt. Zaſius *parte* 5. *epitom. Feud.* Tandem, quæ Feuda Valvaſores *Minimi* a Majoribus accipiebant, non cenſebantur jure Feudi, niſi apud Mediolanenſes, teſte Gerhardo in *I. F.* 1. §. *fin.* Verum hodie non minus jure Feudi cenſentur, quam ſuperiora illa, etiamſi dignitatem non afferant, *Gloſſa d. loco*. Eguinarius Baro *cap.* 1. *de natura Feud.* Cujacius *ad II. F.* 10. At vocabula miſſa faciamus. Quoniam vero facultas adquirendi

rendi Feudum a facultate pendet rerum dominia adquirendi; inde regula: quicumque prohibetur, quo minus certam rem ſibi comparare poſſit, ille etiam prohibetur illam rem, in Feudum accipere. Verum anguſtioribus hæc regula limitibus ex primæva Feudorum inſtitutione circumſcripta fuit. Qui enim vel magiſtratui gerendo, vel muneribus belli explendis impares erant, incapaces Feudorum exiſtimabantur. Ita feminæ. (§.19.) *I. F.* 1. §. *hoc quoque notandum I. F.* 8. §. *fin.*. *I. F.* 14. §. *ſi duo*. Hujus rei Gloſſatori *d.* §. *hoc quoque notandum* nullam adduci poſſe rationem videtur; plurimas tamen in medium proferunt Interpretes. Principio publica non patitur honeſtas, ut mulier virorum cœtui ſe ſe immiſceat. Borch. *de Feud. c.*1. *num.* 19. Dein ſervitia militaria obire nequit; poſtremo nec optimis conſiliis Domino præſto eſſe; *L.* 1. *C. de confirm. tutor.*, nec ſecreta cuſtodire poteſt; quæ ſunt jurisjurandi fidelitatis præcipua capita. Ceterum uſu poſtea invaluit, omnibus poſſe Feuda dari, qui expreſſe prohibiti non ſunt. *II.F.*26. §. *ſi minori*.

§. 40.

§. 40. *Cujuſcumque ſint ſexus.*

Igitur quamvis ſervitia præſtare femina nequeat; adeo ut propterea communi Jure ad Feudi ſucceſſionem ne vocetur quidem *I. F.* 1.; dominus tamen eam inveſtiendo, juri ſuo renunciaſſe, ac ſubſtitutum, qui in ſervitiis vicariam præſtet operam, admittere voluiſſe præſumitur. Struv. *cap.* 5. *th.* 12. Tum militiæ cauſa non eſt ſemper Feudo conjuncta. Nam ſunt & Feuda ab omnibus ſervitiis libera (§. 21.); ſunt & alicui ſervitio adſtricta, quod feminæ recte obire poſſunt *II. F.* 51., *& cap. Extraordinario* : *ſi cui militi*. Quare iis, æque ac maribus, hodie Feuda recte dari, in perſpicuis eſt. *I. F.* 8. *I. F.* 23. *&* 24., *& paſſim*. Revera tot *Abbatiſſæ* Feuda poſſident, atque jurisdictione in homines Feudi utuntur. V. Ughel. *Ital. ſacr. tom. VII.* Opponi videtur textus *II. F.* 36. *verſ. ſic dicimus in Clerico*, *& in femina*, *& in ſimilibus*. Verum ibi ſermo habetur de ſucceſſione, quæ regulariter feminis non defertur :. ſuccedere autem, & adquirere, diſtincta ſunt, nec confun-

fundenda. V. Joſeph. Leopold. Rhotium. *Pandectæ Feudales, ſeu Commentarius in Stryckii Examen cap. 6. quæſt.* 11.

§. 41. *Status.*

Homini ſui juris bene Feudum dari, per ſe manifeſtum eſt. Sed & ſervus, tam proprius, quam alienus (modo, qui dat, ſciat ſervum eſſe), Feudum recte accipit. *II. F.* 3. §. *perſonam*; non tamen uti ſervus, ſed quatenus vel libertatem expreſſe, aut tacite obtinet, vel ejus dominus Feudi incapax non eſt. Plane proprio ſervo ſi Feudum, nulla libertatis mentione facta, detur, libertas quoque data præſumitur, *arg.* §. 1. *Inſt. de her. inſt. & L. ſuper ſervis C. qui militare poſſ. lib.* 11.: immo ſi Feudum ſit dignitatis, voluiſſe præſumitur Dominus ſervum natalibus reſtituere. Solebant namque Romani Imperatores ſervos, vel annulorum conceſſione, vel reſtitutione natalium, ingenuos declarare, uti ex *tit. de jure aureor. annulor.*; *& de natalibus reſtituendis*. Multo magis filiusfamilias recte Feudum accipit: in omnibus enim cauſis, uti paterfamilias, obligari poteſt. *L.* 39. *ff. de O. & A.* Immo jure

accipit ab eo, qui in ejus conditione erravit: conditio enim filiifamilias non eſt ejuſmodi, ut nequeat Feudum habere; quod ſecus eſt in ſervo: ſed non a Patre, cujus in poteſtate eſt: donatio ſiquidem foret, legibus vetita. *L.* 1. §. 1. *ff. de donat.*: ut obligatio Feudalis patrem inter, & filium, conſiſtere nequeat, niſi accedente emancipatione. Quæri hoc loco opportune poteſt, an Feudi Filio conceſſi uſusfructus Patri adquiratur. Et qui negant a vero non abhorrere mihi videntur. Cum enim Feuda contemplatione militiæ concedantur, jure peculii caſtrenſis, vel quaſi, cenſentur, *arg. L.* 1. *C. de caſtr. pecul.*. Porro ſi patri uſusfructus adquireretur, filiusfamilias nihil eſſet habiturus; & Feudum alius caperet, quam is, cui Dominus conceſſum voluit, & cujus, ut commodius ſervitia præſtentur, ſolertiam conſideravit. *Fachin. controv. VII.* 77. Qui vero in hac quæſtione affirmativæ inhærent ſententiæ, duobus moventur; & quod fructus Feudi allodiales ſunt; & quod ex Juris communis regulis ea lis definienda, cum nihil in Feudali ſtatutum inveniatur; *ex cap. I. de Feud. cognit.* At, quoad hoc poſterius, ad Jus

Jus commune haud recurrendum, ſi ex Feudali ratio elici poſſit (§. 29. *pag.* 75.). Quod pertinet ad prius, hic non diſputatur, an uſusfructus fructuum feudalium Patri competat; ſed an uſusfructus Feudi, hoc eſt uſusfructus uſusfructus: quod Jura civilia dicunt ſervitutem ſervitutis. Quin Patri ne feudalium quidem fructuum uſusfructus adquiritur: ita enim nullus foret filii uſusfructus; quem tamen eſſe filii, monſtrat ipſa Feudi deſcriptio ab Oberto facta; nempe ut proprietas penes dantem remaneat (hinc Feuda res mancipi nonnullis dicuntur. Cujac. *ad II. F.* 17. Contius *de Feud. c.*5.), uſusfructus transeat ad accipientem. Næ igitur cum ratione inſanire videntur, qui patri non adquiri uſumfructum ſcripſerunt, ſed fructuum commoditatem.

§. 42. *Qualitatis.*

Feuda quoque accipere de novo poſſunt omnes, cujuſcumque ſint qualitatis; tam ſcilicet corpore validi, quam morboſi, & imbecilles. *DD. in c.* 1. *an mutus, vel alias imperf.*, uti cæci, ſurdi, muti, claudi. *I. F.* 6. §. *ult.*: nam Dominus ta-

cite indulſiſſe cenſetur, ut vel non ſerviant, vel per ſubſtitutum ſerviant. Roſenthal. *cap.* 3. *concl.* 8. Gudelin. *de J. Noviſ. par.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Et perperam Hotomanus *in d.* §. contrarium tenens, Feudiſtam redarguit. Quod ſi inhabilis perſonæ conditionem Dominus ignoret, Feudum revocare poteſt. *II. F.* 3. §. *perſonam vero.*

§. 43. *Ætatis.*

Præterea, ſi aliud non obſtet, recte Feudum datur majori annis 25. Infans, ne tutore quidem auctore, adquirere Feudum poteſt; ſed nomine infantis adquirit tutor; *arg. L. ſi infanti, & L. potuit C. de J. deliber.* Impuberem infante majorem, etiam ſine tutoris auctoritate adquirere poſſe, vel ideo Interpretibus placuiſſe ſcribit Veſembecius *de Feud. c.* 5., quod ille ante pubertatem ad jusjurandum, & ſervitia præſtanda minime obligatur. *II. F.* 26. Placuit etiam, puberem minorem Feudum accipere poſſe, ſive Curatorem habeat, ſive non: obligatio enim ad ſervitia perſonalis eſt, quæ ſine Curatore ſubſiſtit. *L.* 101. *ff. de V. O.* Siquidem non

non perſonæ, ſed bonis directo curatorem dari, in perſpicuis eſt. Et deficiente curatoris conſenſu, poteſt per juramentum recte obligari. *Auth. ſacramenta puberum. C. ſi adverſ. vendit.*; quicquid obganniat Sonsbec. *p.* 7. *tract. Feud.* Nequit tamen minor rem ſuam allodialem ab aliquo in Feudum recognoſcere. Vultej. *de Feud. l.* 4.

§. 44. *Conditionis*.

Porro ſine diſcrimine ordinis, aut conditionis, Feudum æque datur Eccleſiaſticis, & laicis; ſummis, & infimis; nobilibus, & ignobilibus: quin ſuperiori. *II. F.*10.: cum & ſuperior inferioris jurisdictioni ſe ſubmittere poſſit *L.* 14. *ff. de jurisdict.* Id vero ſi accidat, majeſtati, ac dignitati ejus, qui dat, nihil detrahitur: ſed tantum diverſimode una eademque perſona reſpicitur; ſcilicet reſpectu diverſarum qualitatum. Juramentum vero, ac ſervitia ſupremus Princeps per ſubſtitutum præſtabit. Proinde Summus Pontifex, Epiſcopi, Abbates, ceteræque Eccleſiaſticæ perſonæ, & ipſa Eccleſia. *c.* 1. §. *fin. de capit. Conrad.*, & *c.* 1. §. *verum quando. de ſtatu regul. in* 6.

accipere Feuda poſſunt, tum Feudali Jure. *II. F.* 40., tum Canonico *c.*5. *de Judiciis. c. 6. de Foro competenti* : nec ab Eccleſiaſticis tantum, ſed etiam a laicis. Veſembec. *de Feud. c.* 5. *n.* 2.: atque ſi controverſia ſuper Feudo exoriatur, Dominus, etiam laicus, a clericis feudatariis adeundus. *d. cap. 6.*; idque apud nos obtinet. Quod ſi Feuda Clericis denegantur *tit.* 30., *&* 36. *F. Lib. II.*, iis locis non de Feudis noviter adquiſitis ſermo eſt, ſed de ſucceſſione in Feudo antiquo. Inveſtiri igitur de Feudo novo Clericus poteſt: idque ex morum corruptione, ait Duarenus *de Feud. c.6. in fine*. Ad veteres autem canones reſtituendos diſputari cœpit, an Clericus poſſet per ſubſtitutum ſervire. Quod negandum videtur. De Marca *de C. S. & I. VIII.* 21.: obtinuit tamen. Monachus etiam recte Feudum adquirit; ſed monaſterio, modo hoc alicubi capax fuerit: ſervitia vero per ſubſtitutum præſtabit. Murator. *Diſſ.* 26.: eoque mortuo ad Dominum redit, niſi contemplatione monaſterii datum fuerit. Clarus. §. *Feudum*, *quæſt.* 78. Pariter inter ſæculares, & ſummi, & inferiores a quibusvis Feuda accipere poſſunt. Petrus Gregorius *I. Syntagm. 6. c.*4.

Vul-

Vultejus *de Feudis I.* 4. *num.* 10. : immo & Ruſtici. Alteſer. *de orig. Feud. cap.* 10. Ruſticus eſt, qui operas, aut cenſum domino penſitat: Nam agri, præſertim in Germania, ruſticis tradebantur, ut certus canon annuatim præſtaretur. Chriſtoph. Cellar. *de Princip. doman. cap.* 8. At ſub Feudorum initiis Feuda nobilibus tantum, ſeu *Honoratis* concedebantur. P. Gregor. *de Republ. Lib. III. cap.* 2. §. 17. Vaſallus vero ſubinfeudare Ruſticum non poteſt; ne Domino deteriorem Vaſallum ſubſtituat. Quod dici de imbecillis poteſt: Stryk. *Exam. J. Feud. cap.* 6. *quæſt.* 19.

§. 45. *Et Procuratores.*

Per Procuratorem non minus Feudum adquiri, quam concedi poteſt. *II. F.* 1., modo ſpeciali ille mandato inſtructus ſit; cum præſtandum, vel recipiendum ſit fidelitatis jusjurandum. Per Curatores etiam furioſi, aut mentecapti, uti res alias, ita & Feuda adquirunt: ipſi enim, quod agunt, non intelligunt. Adquirunt ipſi ex ſe prodigi; quia in adquirendo prodigi non ſunt. *L.* 5. §. 1. *ff. de adquir. hered.*

§. 46. *Qui Feudis indigni*.

Sed Feudis nonnulli indigni ſunt ob delicta, vel pœnas; veluti excommunicati majori anathemate, banniti, ſive proſcripti. Crimine publico damnati, uſurarii, & alias infames, Feuda, præſertim dignitatis, accipere nequeunt, *arg. L. 7. ff. de public. judic.* Tum Hæretici, apoſtatæ, ethnici. Licet enim in Jure Feudali prohibiti non videantur; ipſa tamen ratio ſuadet, ne, qui ſacroſanctas Dei leges violarunt, Feudi honore condecorentur. Nati denique ex nefario, vel inceſtuoſo concubitu, accipere poſſunt Feudum ſine dignitate, ſed non ab iis, ex quibus nati ſunt.

CA-

C A P. III.

DE SERVIS, ADSCRIPTITIIS, ATQUE HOMINIBUS FEUDI.

§. 47. *Altera generalis perſonarum diviſio, nempe ſui, & alieni juris.*

CAjus in *L.* 1. *de his*, *qui ſunt ſui*, *vel alieni juris*, aliam exhibet generalem perſonarum diviſionem; quod quædam ſui juris ſint; quædam alieno juri ſubjectæ: hujuſmodi ſunt ſervi, & filiifamilias. Quam diviſionem, quia ad aliam hucuſque expoſitam referri poſſe videtur, pro inſtituti noſtri ratione, enucleandam ſuſcipio; ut, quoad ejus fieri poteſt, Exquæſtoris Triboniani ſubinde ordinem ſequamur.

§.48. *Hominum diviſio in liberos, & ſervos: ingenuos, & libertinos.*

Summa hominum in liberos, & ſervos diviſio olim obtinuit in Regno. De ſervis vero potius Langobardico Jure, quod antiquitus commune erat, quam Ro-

Romano, dijudicatum putarim. Adverſus Romani Juris regulas, apud Langobardos alieni ſervi cædes (quin & liberorum), pœna pecuniaria, quæ *Weregildum* dicebatur, coercita fuit: eratque ea pœna pro hominum diverſitate, ac pecuniæ raritate, diverſæ quantitatis. *Langob. Lib. I. tit.* 9. §. 21. *&* 27., *& tit.* 4. §. 1. *&* 8. Camill. Peregr. *Hiſt. Langob.* Cuique inſuper permittebatur alteri ſe in ſervitutem addicere, more majorum. Tacitus *de morib. Germ.* 24. De ſervis eccleſiæ *oblatis* vide Cangium. Ac licet lege ſcripta Ludovicus Pius *oblationibus* reſtiterit; *Langob. Lib. III. tit.* 9. §. 1. *& Lib. II. tit.* 33. §. 2., moribus tamen ſuperfuerunt. Legitimos manumiſſionis modos apud Langobardos, fuſe, & operoſe perſequtus eſt Muratorius *Diſſ.* 15. *Antiquit. Ital.*, ubi etiam, qui fuerint *aldiones*, exponit. Hinc olim apud noſtrates erant ingenui, & libertini. At quæ de ſervis plus ſatis fortaſſe dicta ſunt, ad rem Feudalem faciunt, ſi an dare, & adquirere Feuda ii poſſint, obſervetur. Id autem ſupra præſtitimus (§. 32., *&* §. 41.). Jam vero ſervorum ſolummodo in noſtris Conſtitutionibus mentio eſt: adeo ut videatur poſt Fridericum II. vix ſuperfuiſ-
ſe.

ſe. Nam poſt ejus Conſtitutionem *Lib. III. tit. 19. N. C.* (§. 38. *pag.* 104.) ſervorum greges inſtauratæ amplius non fuere. Quamobrem apud Chriſtianos (an malo publico, neſcio), circa annum Chriſti 1250. ſervitutem exoleviſſe, Gudelinus probat *de J. Novis. I.* 4. At viguiſſe etiam poſt ea tempora, infertur ex Heineccio *Exercit. de orig. atque indol. juriſdict. patrim.* §.15., & Bodino *de Rep.I.* 5. In Eccleſiaſticis monumentis ad tempora uſque Decretalium ejus mentio occurrit. Et Clemens IV. an. 1266. *Ep. ad Bedam*, diſcrimen inter liberos, & ſervos, nullum eſſe concludit. Diutius etiam in Oriente ſtetiſſe, monſtrat doctiſſimus Thomaſſinus *de Benef. p.2. Lib.I. c.* 74. Nunc apud Chriſtianos nulli alii ſervi, niſi qui Chriſtianæ Religionis ſunt hoſtes; quod & Bartolus tradit in *L.* 24. *de captivis*: iidemque, ſi manumittantur, libertini ſunt. Cum his agitur Jure Romano, quod mutatum legibus noſtris non eſt. Chriſtiani vero ab infidelibus capti, in ſervitute ſunt, non ſervi. Et Covarruvias *ad c. peccatum de R.J. in 6.* ſcripſit, adhuc ſervandam poſtliminii, legiſque Corneliæ fictionem cum Chriſtianis captivis, ſi his utile

utile ſit. Liberalem hac de re cauſam Chriſtianæ mulieris ab infidelibus captæ, & rurſus Chriſtianorum captivæ cum liberis in captivitate procreatis, refert *Rodoer. conſ.*47.

§. 49. *Quinam adſcriptitii; & recomandati veteres.*

Præterea eſt mentio *adſcriptitiorum* in libris Conſtitutionum, & proprie *Lib.III. tit.* 2. Conſt. *errores*, ubi appellantur *Villani*: in quibuſdam chartis *Ruſtici* dicuntur; *Burgenſes*, quaſi *Burgi*, ſeu Feudi Baronis incolæ; *agricolæ*, *cenſiti*, *coloni*; & *adſcripti glebæ*, quam ſequior latinitas *villam* dixit. Hi etiam memorantur in recentioribus noſtris legibus (§. 38. *pag.* 105.). Sunt autem loco ſervorum, & tamquam ſervi in commercio. V. de Afflictis in Friderici Conſtitutionem *Adſcriptitios*. Similiter in libris Romani Juris *aſcriptitii* vocantur; & quaſi partes a prædiis inſeparabiles cenſebantur ſub Imperatoribus. *V. tit. C. de agric. & cenſit. & colon.*: adeo ut adſcriptitiorum legatum ſine prædio, inutile fore, reſponderit Marcianus *Leg.* 112. *de Leg.* 1. Inter ſervos, &

& adſcriptitios perperam, & confidenter nimis, nullum diſcrimen eſſe, edicit Juſtinianus in *L.* 21. *C. eod.* Iidem apud Langobardos, nominibus *partiariorum*, *tertiatorum*, *mediatariorum*, *conſilium*, deſignantur. Murator. *d. Diſſ.* 15. Et fere conveniunt de iis latæ Romanæ, ac Langobardicæ leges; a quibus noſtræ Conſtitutiones profectæ (§. 38. *pag.* 105.). Adſcriptitii olim in Regno non ad privatos tantum pertinebant, verum etiam ad Barones, Regiſque demanium. Eos ex demanio Regis alio migrantes, redire ad lares ſuos, cautum a Friderico II. fuit *Conſt. quisquis de Burgenſibus*. Adſcriptitii autem, licet ſerius quam ſervi, exoleverunt; & ſolum in Germania *homines proprii* ſuperſunt. V. Strykius *de uſu modern. Pandectar. Lib.* 1. *tit.* 5., Id ægre ferentes Barones *Recomandatos* ſuſcipiebant a Terris Demanii (§. 38.). Fridericus tamen ſanxit, Barones, qui Recomandatos Vaſallos ſuos eſſe affirmaſſent, titulum edere debere; quo deficiente, ſi eos patrocinio foverent, ad decem puri auri pondo multari: tum eorum bona publicari, ſi poſt ſolutam pœnam patrocinium exciperent; capite demum,

mum, tamquam factioſos plecti, ſi, publicatis bonis, patrocinium non dimitterent. *Conſtit. Lib. III. tit.* 7. *&* 8. Et quia Recomandati ajebant, ſe in Baronum Feudis incolas jam eſſe, atque ab æquitate abhorrere, quæſita bona relinquere, & in Demanii Terris demigrare; conſtituit Imperator, & Rex Siciliæ, eos bona venalia expoſituros, ut Barones emerent, vel emere ſubjectos ſuos adigerent; bonorum publicatione propoſita in Barones, Comites, vel Prælatos Feuda habentes, ſi adverſus conſtituta fecerint. *Conſtit. Lib. II. tit.* 11. Recomandati tamen, perditiſſimum genus hominum, necem cunctis inferre parati, etiam poſt Friderici exceſſum, perdurarunt. Demum obnoxia ſervitus exolevit.

§. 50. *Hominum liberorum diviſio in eos, qui Regi, & qui Baronibus immediate ſubſunt.*

Huc pertinet ea liberorum hominum diviſio, quæ poſtquam Feuda magis magiſque invaluere, in Regno præſertim obtinuit *Conſt. quisquis de Burg.*; ut nimirum, qui Regii Demanii loca incoluerunt, imme-

mediate Regi noſtro ſubſint (licet olim *demanii homines* adſcriptitiæ conditionis fuiſſent); qui Feudorum incolæ, Regi etiam ex Principatus ratione pareant, ſed Baronibus intermediis; quorum jurisdictioni ex ratione Feudali ſubjiciantur. Enimvero ſummam Regis majeſtatem Fridericus II. ſcripta lege primum expreſſit *Conſt. Lib. I. tit.* 31. Sed & Nortmanni regnandi rationem uni reddidere. Nimis dure idcirco Vicus noſter *de rebus geſtis Antonii Caraphæi c.* 1., noſtrates, ſcripſit, ad Suevos uſque in libera fuiſſe forma Reipublicæ. Etſi enim Fridericus I. homines cunctos ab ætatis anno 18. ad 70 uſque, ad jusjurandum pacis per ſingula luſtra præſtandum, compulerit; *II. F.* 53., qua de lege vide Hotomanum *de Feudis Lib. II. tit.* 53., & Guntherum *de geſtis Friderici Lib.* 8., clarius tamen, firmiuſque Fridericus II., ut pacem inter tot civilium rerum fluctus, ac viciſſitudines, ſtabiliret; utque univerſi Regni tutelam ſuſciperet, pluribus ſcriptis legibus ad perverſos mores tollendos, plura ſapientiſſime ſanxit. Præcipua ſunt; eum, qui populi collatione munus, aut jurisdictionem aſſumpſerit, capite puniri. *Conſt. Lib. I. tit.* 50.
Ame-

Amezatores, ſeu dicas *Mediatores*, & *Arbitros* Sacerdotes, atque Epiſcopos, tum *adjunctos compares*, ſeu *compatres*, Patrinos, in litibus adeundos non eſſe; ſed Judices, aut laicos arbitros. *Conſt. Lib. I. tit.* 82.: fas amplius non eſſe, vi privata ulciſci, hoſtem aggredi, adoriri. *Conſt. Lib. I. tit.* 9., & 15.; arma ad nocendum ferre. *Conſt. Lib. I. tit.* 10.; Regis nomen aggreſſori, etiam injuſto Baroni propoſitum, quæ civilis defenſio eſt, ſpernere. *Conſt. Lib. I. tit.* 16., & 17., aliaque (§. 38. *pag.* 104.). Subjecti vero, quibus tantum *juſſa capeſſere fas eſt*, fidelitatis obſequium Regi præſtare tenentur; quod in Feudorum libris *homagium*, & *hominium* dicitur. Sed optimum factu erit, ſi hæ voces pro ſubjecta re minime uſurpentur; ne, quod Regi debetur, cum eo confundatur, quod debetur Baronibus. Ceterum de Majeſtatis Juribus, ac ſubjectorum officiis, tot Juris publici auctorum ſcrinia expilare, hujus loci non eſt. V. Zieglerum *de Jur. Majeſt.* Franc. Xav. Roys *Ethica*, & *Jus Naturæ*, Pufendorfium, Grotium, alioſque. Quoniam vero Neapolitani Reges pleraque jura Baronibus conceſſere in homines Feudi, qui *Vaſalli* vulgo nuncupantur (etſi hoc nomi-

mine Barones ipſi veniant *I.F.*43.(§.*39.*), ea veluti per cauſæ conjectionem, heic referre, opportunum reor; ut officia, ac munera hominum Feudi, propius obſerventur.

§.51. *Feudalis Baronum Jurisdictio in homines Feudi.*

Primum omnium jurisdictio eſt juris dicundi poteſtas. Differt ab imperio, quod eſt poteſtas imperandi; ſeu jus civibus imperandi, atque armata poteſtate utendi, quo in officio ii contineantur. Id autem duo complectitur; ut judiciis pareant, utque maleficiis ſe abſtineant. Illud imperium *mixtum*, quia jurisdictioni conjunctum; hoc *merum* dicitur *L.* 3. *ff. de jurisdictione*. Jurisdictionem Magiſtratuum; imperium, præſertim merum, ſummæ poteſtatis eſſe, nec niſi ejus exercitium, Magiſtratibus demandari, Veteres Romani Juris auctores tradidere: hinc imperium mandari non poſſe; bene vero jurisdictionem. *L.* 5. *eod. L.ult.ff.de off.ejus, cui mand. eſt jurisdict. L. nemo* 70. *ff. de R.I.*. Simpliciori ratione Langobardi, aliique Germanicæ originis, poteſtatem omnem Judi-

cum, ſeu ad lites dirimendas, ſeu ad animadvertendum in facinoroſos homines, jurisdictionem dixere; ac mandari poſſe putarunt: ita ut in Langobardorum legibus *Vicecomites*, & *Vicarii* ſæpe occurrant, qui in controverſiis qua criminalibus, qua civilibus, jurisdictione a Comitibus, & Gaſtaldis mandata utebantur. Deinceps ſub Nortmannorum ditione Vicarios de veteri more Juſtitiarii inſtituebant. Quod cum Principatus rationi adverſaretur, vetuit ſub capitali pœna Guilelmus I. *Conſt. officia. tit. ut Juſtitiar. alium loco ſui ordin. non poſſ.* tum, pœna publicationis bonorum ſuffecta, Fridericus II. *Conſt. duram. tit. de probib. official. occiſ.*: deinceps Carolus I. Andegavenſis *cap. quia. de Vicar.* 19., & Johanna II. *cap. item quod prædicti officiales* 276. Quin idipſum generatim de officiis omnibus ſancitum eſt *in Ritu M. C. item*, *quod in dicta Curia; & Pragm.* 1. *&* 2. *de adminiſtr. & Pragm.* 75.§.131.*de o.P.C.* Jam vero indubitati juris eſt, jurisdictionem in ſumma poteſtate reſidere; atque principali indulgentia, ad Barones dominii jure primum, non ſecus ac ipſa Feuda, conceſſa fuiſſe. Quod vero Majeſtatis jus eſſe pergit, nonniſi juſto titulo

tulo competere privatis poteſt; nec nuda ſufficit communi Jure poſſeſſio. Thomas, *Diſſ. de præſcript. ſubdit. adverſ. Princip.* Proinde, quatenus ex inveſtiturarum diplomatis conſtat, eam Baronibus convenire, dicendum eſt. Capiblancus *de Baron. Lib.* II. *c.63.* . Initio quidem nulla jurisdictio in Barones translata fuit: & vel ipſa Caroli M. ætate, Comitibus ac Regiis miſſis mandabatur. Conrig. *de judic. Reip. German.* Franc. Roye *de Miſſis Dominicis.* De Marca *de Conc. S. & I. IV. 7.* (*Miſſi Dominici*, qui magna potiebantur poteſtate, diſtinguebantur a *Miſſis diſcurrentibus*, qui Principis mandata per provincias deferebant). Tum *patrimonialis* in homines proprios Germanorum jurisdictio, exemplum fuit feudalis jurisdictionis in Feudi homines. Heinecc. *Exercit. de orig. atque indol. jurisdict. patrim.*: & *Elem. Pandectarum parte I.* §.43. Similiter apud nos ſub Monarchiæ initiis fere nulla Barones juriſdictione uſi ſunt (§.25.*pag.*51.). Et Fridericus II. *Conſt. ea, quæ ad ſpeciale decus. quod nullus prælat. com. & c.*, publicationem Feudorum illis Baronibus comminatus eſt, qui Juſtitiarii munere fungerentur; atque Conſtitutione *cum ſatis. quæ pœn. univerſ. teneant*, Regio-

 rum

rum Judicum firmat auctoritatem. Deinceps cum Feudo inferior jurisdictio etiam concedi, exiſtimatum eſt. *Auct. Hiſt. Civil. XXII.* 5. Epiſcopis quoque, quando Eccleſia Feudis, & latifundiis a fidelibus locupletata fuit, jurisdictio, raro jus gladii conceſſum fuit. *Pirr.*, *&* *Ughell. in Italia ſacra*. Hanc rem incudi reddidit Vir Clariſſimus, quem honoris cauſa nomino, Ill. Franciſcus Vargas Eques in Examine Diplomatum RR. PP. Cartuſiæ S. Stephani de Boſco. Tandem ſub Aragonenſibus & merum imperium Baronibus conceſſum: ideoque *profanatum* dicitur a de Franchis *deciſ.* 370. Semper tamen excepta intelliguntur majeſtatis, & falſæ monetæ crimina. *De Franchis deciſ.* 275.: nam eorum cognitio ſupremæ Majeſtati, a qua ſejungi nequit, reſervatur. Quia vero juriſdictio latius accipitur pro omni notione Magiſtratibus competente (unde a *dictione* eſt, non a *ditione*, uti putat Accurſius), ex eo Pragmatici intulerunt, conceſſa *omnimoda* juriſdictione, vel vendito Feudo *cum juriſdictione*, *&* *pertinentiis ſuis*, intelligi datum etiam merum, mixtumque imperium. *de Franchis deciſ.* 116. *Urſill. ad Afflict. deciſ.* 122.

Et

Et quia opus eſt territorio, intra cujus fines exerceatur juriſdictio, *arg.* *L.*20. *ff. de juriſdict.*, ideo ea conceſſa, & territorium conceſſum cenſetur. *Sanfelic. dec.*301. Immo, quamvis juriſdictio individua ſit, & ab uno pendeat principio, facultate nempe juris dicendi; nihilominus in ſuas dividitur ſpecies (*princ.h.*§.); & territorio adnexa æque ſeparatur, ac diſtinguitur, uti ipſum diſtingui poteſt, ac ſeparari territorium *L.*1. §.1. *ff. de offic. Præfect. Urb.*: & ita in Italia ſervari, teſtatur Alexander *conſ.* 22. *Lib. IV.* Pluries vero exortæ non leves diſcordiæ inter diviſos poſſeſſores duarum ſpecierum juriſdictionis, criminalis ſcilicet, ac civilis. Hinc ſæpe in ſupremis Tribunalibus judicatum eſt, poſſeſſorem civilis juriſdictionis, quæ præeminet, cogere poſſe imperii poſſeſſorem, ad hoc, juſto ſoluto pretio, ſibi vendendum. Baronibus præterea claris, obteſtatiſque verbis concedi cœperunt *litteræ arbitrariæ* Roberti, quæ jam arbitrium Præſidibus Provinciarum fecerant, criminum pœnam, etiam capitis, cum pecuniaria multa commutandi. Sed *Pragm.* 1., & 2. *de compoſit.*, id Præſidibus prohibuit Carolus V., non item Baronibus. Hi tamen ſi com-

poſitionum arbitrio abutantur, & poſſunt eo a Principe privari, & compoſitio reſcindi. *Pragm. 6. de Baron.* Non autem in omnibus delictis permiſſa eſt compoſitio; ſed in iis tantum, quæ coërcenda non ſunt morte naturali, vel membri cujuſdam mutilatione. *d. Pragm.* 2. At quum huic Pragmaticæ fraus fieret obtentu tranſactionis dubii delicti, non compoſitionis; ideo porrecta eſt ea ſanctio ad tranſactiones. *Pragm.* 22. *eod.* Poſſunt quoque Barones gratiam delicti facere, pendente adpellatione. *de Franchis dec.* 370. Sed neque ad compoſitionem reos admittere, neque hanc indulgentiam concedere poſſunt ſine læſæ partis conſenſu, ſeu remiſſione; quemadmodum ſtatuitur de omnibus Judicibus generatim *Ritu* 275. Quod vero jurisdictio Feudo ipſo haud inhæreat: conceſſo enim Feudo, non intelligitur conceſſa juriſdictio, uti obſervat Cujacius *Lib. IV. de Feud. tit.* 19., licet hodie nullum Feudum ſine mero, mixtoque imperio concedi ſoleat; hinc Baro, qui præter inveſtituram ea utitur, affici debet pœna Conſtitutionis *Ea quæ ad ſpeciale decus*; nempe privationis Feudi, ac omnium bonorum. *Affl. dec.* 265.: niſi ignoranter id fe-

fecerit: nam ſine fraude nullum crimen eſt.

§.52. *De Officialibus Baronum.*

Ubi autem Baronibus juriſdictio conceſſa fuerit, eam nonniſi per Officiales exercere poſſunt: annuos quidem. *Pragm.*5. *de Baron.* Quapropter iſti intra anni curriculum neceſſarii Judices ſunt. *De Luca ad deciſ.*409. *de Franchis*: poſt quem ſyndicatus judicio ſubiicientur. *Pragm.un. de ſyndic. Official.* Proinde exteri Officiales creari nequeunt; ut fugæ ſuſpicio tollatur: atque anno officii expleto, iis prohibitum eſt *Ritu* 283. in eodem munere ibidem permanere; ut liberum cuique foret de iis in ſyndicatu queri. Inſuper jurisdictione a Rege conceſſa, ea Baroni jure dominii competit: nec, domino invito, quidquam huic juri detrahere hominibus Feudi licet: tam ſi primæ inſtantiæ conceſſæ fuerint; quam ſi ſecundæ etiam, & tertiæ. Quod inſtitutum publicæ ſaluti, litibuſque amputandis, certe non prodeſt. Hinc, ſi excipias miſerabiles perſonas, quarum eſt Regii Fori electio ex Conſtitutione *ſtatuimus*; & noviſſimis Regiis

litteris ; quibus etiam definitum , ne ad alias perſonas , præter a Conſtantino in *L. un. C. quando Imp. int. pupill.*, *& vid.*, recenſitas , beneficium iſtud protendatur; ceteræ perſonæ Baronum Officialibus morem gerere tenentur : etiamſi fuerint *ſecundarum*, vel etiam *tertiarum* cauſarum: modo in Feudi inveſtitura , vel alio privilegio hæ fuerint expreſſæ . Freccja *de ſubfeudis Lib.III. auth.* 13. Nec ideo derogatum Conſtitutioni *quum nova* . Id in locis demanialibus non obtinet . *Pragm.*2. *ubi de delicto quis conveniri* . Hic obſervandum, tres uniformes ſententias Curiarum Baronis, pro una haberi; ac proinde poſſe ab iis ad Regias Audientias appellari . Tapia *de Jure Regni tit. de off. in Regn. conſt.* Igitur non obſtat titulus Codicis, *Ne liceat in una eademque cauſa &c.*, quo in civilibus cauſis non permittitur tertio appellare. Hi ſecundarum cauſarum Officiales veri Judices ſunt. Quare nec cives, nec de crimine aliquo inquiſiti eſſe poſſunt . Etſi vero *extra territorium jus dicenti impune non* pareatur *L. fin. de Juriſdict. omn. Judic.*, excepta voluntaria juriſdictione *L.* 2. *de Offic. Proconſ.*, adeout patrio Jure Magiſtratus in ſuæ juriſdictionis

nis loco reſidere teneantur, *Pragm.* 2. §. 8. *de Offic. Judic.*; moribus tamen inductum eſt, ſecundarum Judices quocunque reſidere poſſe; modo intra Provinciam. Nam extra Provinciam omnino vetitum eſt litigantes trahere. *d. Pragm.* 2. *Ubi de delicto &c.*: immo ultra dietam Barones nequeunt Judices conſtituere. Capiblancus *in Pragm.* 5. *de Baron.*. Ex iſtorum Officialium inſtitutione ſenſim imminuta fuit ſub Aragonenſibus Bajulorum Juriſdictio; quæ olim late patebat; uti ex multis Regni Conſtitutionibus manifeſtum eſt. Hodie Bajuli pondera, & menſuras curant: in modicis litibus jus dicunt: præſertim in actione de pauperie, & de paſtu pecorum. Atque in damnis per animalia datis unius teſtis depoſitio cum jurejurando ejus, qui damnum paſſus eſt; quin ſolius Cuſtodis dictum, ſi animal teneat, plenam facit probationem. Pœna non ultra damnum, nec ultra auguſtalem eſt. *Pragm.* 1. *de Offic. Bajul.* Denique a Bajulorum ſententiis ad Gubernatorem appellatur. Ceterum eorum jura ex locorum potius moribus dimetienda ſunt. Non licet autem, ut diximus, Baroni Officialem juri dicundo creare, qui ſit Regni ex-

exterus; nam Principi, a quo manat juriſdictio, ſubditus non eſt; nec, qui clericus ſit: nam Eccleſiaſticæ diſciplinæ mancipatus: licet vero eligere Officialem conſanguineum; cum id nullo jure videatur prohibitum. Neque Vaſalli de hoc conqueri poſſunt, niſi cauſa adſit querelæ: puta ſi lites agitentur inter eos, & Baronem, vel graves inimicitiæ ſuboriantur. *Regens Sanfelic. dec.* 315. *&* 63. Præter Officialem, qui juſtitiam miniſtret, eligit Baro *Aſſeſſorem*, ſeu *Conſultorem*, qui *Officiali*, *Gubernatori*, ſeu *Capitaneo* laurea doctorali non inſignito, conſulat; eaque explicet, quæ ex legibus deſcendunt, ſeu, quæ ad Jus pertinent: ne Officialis Juris imperitus, falſa juſtitiæ imagine deludatur; atque in perniciem litigantium cauſæ definiri peſſimo exemplo videantur. Apud Romanos quoque inveniuntur Aſſeſſores deputati Præſidibus, Proconſulibus, Legatis Principum, aliiſque Rectoribus Provincialibus. Nec inconſulto. Hi enim Magiſtratus bellica virtute utplurimum præſtabant, ad Juris nodos ſolvendos imparati: adeo ut *ſtultitia*, ſive juris imperitia, aliorum jura nullo negotio lædere poſſent. Juris inſcientes *ſtulti* Paulo di-

cti

ſti *in L. regula 9. §. ult. de jur., & fact. ignor.* Fuiſſe Magiſtratus plerumque militares, legumque ignaros, Cujacius probat *in Nov.* 82. *V. Hotoman. quæſt. Illuſtr. c.* 38. Aſſeſſoris munus in eo verſatur, quod ſimplex, nudumque conſilium Magiſtratibus præſtet; nullaque ordinaria jurisdictione pollet: hæc enim conceſſa reperitur Judicibus, eorumque Curiis dumtaxat. *Paris de Puteo de ſyndicatu. verbo Aſſeſſor.* Verum ſi electus fuerit a Judice, hic tenetur de culpis nedum propriis, ſed etiam aſſeſſoris; nec ille ſyndicatui ſubjicitur; nec jurisdictionem habet. Tapia *in Conſt. ea quæ ad ſpeciale decus.* Sin electus a Barone, Judici objici illud nequit; *mala electio eſt in culpa*: & hic Conſultor ordinarius tenetur præſtare cautionem de bene, fideliterque adminiſtrando, & de parendo ſyndicatui. *Pragm.*41. *de Off. Proc. Cæſar.* Præterea electio *Magiſtri Jurati* ad Baronem ſpectat, quia ad jurisdictionem ei tributam refertur. Hoc eſt aliud officium, quod in Feudis exercetur; verſaturque circa curam explorandi delicta, & capiendos facinoroſos homines. In Terris Demanialibus ad Univerſitatem pertinet hæc electio. *Capitulo Caroli*

roli II. Item ſtatuimus, quod officium Magiſtri Jurati. Ex qua diſtinctione, Regni Capitula in ſpeciem pugnantia, conciliantur. *de Francbis dec.* 43. Romæ erat Præfectus Vigilum: cujus exemplo ſub Nortmannis in Regno quidam creabantur Magiſtratus, dicti *Curioſi*, ac *Stationarii* ad publicam pacem curandam, ac nuncianda crimina ſuperiori Poteſtati. Horum vice Andegavenſium ætate Magiſtri Jurati ſubrogati fuere. *Cap. Robertus tali Comiti. tit. ut Com. & Bar.* Obiter notandum, quod ſi duo pro eodem exercendo munere Officiales a Barone eligantur, is præferri debet, qui prius poſſeſſionem cœperit, licet tempore electionis poſterior. Novarius *ſup. Pragm.* 3. *de Baron.* Is enim præter electionem alio munitur præſidio, nempe captæ poſſeſſionis. Inſuper Baro, etſi Fiſcum non habeat; cum tamen in Feudo ſit Fiſci procurator in rem ſuam, & ipſe ad exemplum Regiarum Curiarum *Pragm.* 8. *de appellationibus*, in Baronali Curia, ut Fiſci partes agat, *Coadjutorem Fiſcalem* inſtituit; qui ſolet eſſe Ærarius Feudi. Inſtituit etiam *Locumtenentem*, qui vere Officialis eſt. Ipſi Gubernatores nequeunt Vicarios pro ſe conſtituere. Poſſunt id

id tamen ad modicum tempus. *de Franchis dec.* 98.; quod contra rationem juris inductum (§.51. *princ.*), moribus confirmatum eſt. Tapia *in cap. quia de Vicariis*. At hi Vicarii ad ſyndicatum non tenentur. Rationes pro iis Gubernatores reddent. Baro inſuper *Nundinarum Magiſtrum* conſtituit, qui jurisdictionem, & imperium quamcitius exercet; uti ex Pragmaticis *de Nundinis*; quique etiam Syndicatui ſubjicitur. *Pragm.* 1. *de ſyndic. Official.* Omitto *Actuarios*, *Apparitores*, & alios, qui jurisdictionis exercitio a Baronibus deſtinantur. Satis de jurisdictione. Feudatariorum ordo in hoc florentiſſimo Regno non ſolum privilegiis gaudet, ſed etiam, ubi res arduæ, ac difficiliores pro communi bono, pro incolumitate Reipublicæ, pro commodis Principis ſtatuendæ ſunt, convocatur, atque in conſiliis univerſalibus ſua vota confert; verum jurisdictio eorum decori, & amplitudini quammaxime favet. Ceterum Baronum Officiales alii exercendæ jurisdictioni inſerviunt, de quibus hactenus; alii parandis ipſorum commodis vacant. Ita eſt ex. gr. *Ærarius*; de quo mox.

§.53.

§. 53. *Homines Feudi præſtare pecuniaria adjumenta Baroni tenentur .*

Porro aliis juribus Barones in ſubjectorum perſonas, ſeu ex Feudi natura, ſeu ex pactis inveſtituræ, utuntur. Ex ipſa natura Feudi quandoque adjutoria homines Feudi præſtare compelluntur. Adeſt Conſtitutio *Quamplurium*; quæ mihi ſortito obtigit interpretanda in publica Cathedræ petitione. Non piget Commentarii mei ſpecimen, quia ad rem facit, exhibere; modo tumultuariæ prælectioni venia non denegetur. In ea Conſtitutione Guilelmus I. *de adjutoriis exigendis ab hominibus* Feudi multa ſanxit; ac fibulam impoſuit cupiditati, & φιλαργυρίᾳ Feuda poſſidentium, qua Laicorum, qua Eccleſiaſticorum. Ii enim ſæpenumero vel levi ex cauſa, vel juſtæ cauſæ obtentu quodam, ab hominibus Feudi ingentem auri copiam pro adjutoriis exigere conſueverant. Speciesque omnes Rex enumerat, præfinitque, in quibus adjutoria petere jus eſſet: demum cavit, ut in iis *moderate Domini ab eis adjutorium exigant, & requirant.* Hinc primo agendum de cauſis exigendi ad-

adjutoria, & de prava Regni conſuetudine, a Feudatariis invecta, qui ſubventiones hoc genus, injuria extorquere ſolebant; ut ratione legis perſpecta, primorum ſententia verborum palam ſit: deinde adjutorii exigendi ſpecies a Guilelmo enumeratas, ſigillatim enarrare, operæ pretium erit. In primis igitur ſtatuendum eſt, quod licet inter majora Regalia principem locum obtineat dominium in ſubjectorum perſonas; nihilominus ordinis Reipublicæ ratio poſcit, ut qui τὸ χεῖρον tenet, ſummoque gaudet imperio, in alios plus minus, ad tempus, vel in perpetuum, partem transferat quodammodo poteſtatis ſuæ in perſonas; ſemper tamen retinendo ſummum dominium, quod cum aliis nequit eſſe commune. Feudis autem vetuſtiſſimis moribus in Regno inductis; cum Rex Feudum concederet, Burgenſes, nimirum allodii poſſeſſores, quod illud incolebant, Feudatario ob quasdam res ſubmiſiſſe, exiſtimandum eſt. Ad ſubjectionis hujus probationem faciunt Conſtitutiones, *Comite vel Barone*, & *Domini a Vaſallis*, ex quibus aſſecurationis juramentum Feudariis Burgenſes præſtare tenentur. Inficiari ſane nequit, Barones eſſe in hac re.

Pro-

Procuratores Principis in rem ſuam. Proinde quemadmodum Principatus rationi conſentaneum eſt, ut Princeps quandoque extra ordinem a graviſſimis Reipublicæ oneribus pecuniario donativo ſublevetur; ita ratione ex Feudorum natura manante, pecuniario adjumento ſunt Barones a ſubditis ſuis reficiendi: adeo ut Baro ipſi Regi ſervitium militare, aliaque onera extraordinaria, uti corredum, manſionaticum, fodrum, præſtare adigeretur; & in anguſta re familiari Baronum, aliquid incommodi homines Feudi deberent pecuniariter ſubire; præſertim quod olim multis Barones anguſtiis, & neceſſitatibus premerentur: pro Rege enim militare tenebantur propriis ſumtibus, petitis videlicet ex Feudorum reditibus, qui militaria ſtipendia erant. Proclive inde deducitur, hanc adjutorii exigendi poteſtatem ex fœdere manaſſe, quod intercedit inter Principem, & Feudatarium: tum inter hunc, & Feudi homines. Deducitur quoque ejus exigendi jus præcipue eſſe pro militia ſubſtinenda: omnes enim tenentur operam bello navare: at Rex paucis utitur in bello militibus, nimirum Feudatariis. Æquum igitur eſt, horum ſub-

ſubditos ſervitia ſaltem in pecunia præſtare. Quod vero præter militiæ onus & aliæ ſunt ſubventionum exigendarum cauſæ pro aliis Baronum impenſis; harum ratio ex fœdere, de quo mox diximus, atque juris æqualitate eſt repetenda; quia & Barones ſubditis ſuis multipliciter opitulantur. Corredi, fodri, & manſionatici mentio facta eſt. *Conredium* erat, quod ad menſam dabatur Dominis a Vaſallis, quoties per eorum terras illi permeabant. V. Cangium. *Fodrum* anona militaris. Hujus collationis ob tranſitum exercitus mentio etiam fit in *L. ſi pendentes* 12. §. *ſi quid. ff. de uſufructu*, & apud Petrum de Vineis *Epiſt. II.* 29. *Manſionatici* duplicem uſum reperio: pro *manſione* hoſpitali, ſeu diverſorio; & pro munere, ac ſumptu recipiendorum hoſpitum. Aimoinus *V.*31. V. Hotomanum *in verbis Feudalibus.* Ne autem extra chorum ſaltare videar, ſciens prudens ſilentio prætereo veteres largitiones *oblationales* ex voto Principi factas a Populo, quæ poſtea in conſuetudinem tranſierunt, & petitæ fuerunt ordinarie a Principibus *L. unic. C. de oblat. votor:* prætereo oblationes *votivas*, quæ ob ſalutem Auguſti fiebant; cum om-

nes Romanorum ordines in lacum Curtii quotannis ex voto jaciebant ſtipem ; Suetonius *in Octavio c.* 57. : omitto etiam *ſtrenas*, quæ pro bona ominatione futuri anni a Paganis dabantur : denique omitto functionum publicarum ſpeciem , quæ erat indictio; quamque Cicero *collectam*, ſive *collectionem*, Græci ἔρανον dixere : atque *indictio* dicebatur , quia præcedenti admonitione legebatur pecunia. *L. fin. C. de indictionibus*. De his rebus omnibus fuſe agit P. Gregorius Toloſanus. *Adjutoria* vero , de quibus loquitur Guilelmus, poſt X. Sæculum invaluiſſe primum , operoſe probat Cl. Muratorius *in Diſſert.* 19. *Antiquit.* Dicebantur quoque *auxilia*, *dona gratuita* , *conſuetudines*. Hanc *conſuetudinis* acceptionem Cangium non ſuboluiſſe demiror . Eodem ſenſu in *L.* 2. *C. de off. Præfect. Prætor.* legitur *notitia conſuetudinum , quas in ſacro laterculo, & in Prætorio pro tempore Dux præbere debet*. Neque Eccleſiaſtica Reſpublica ab ejuſmodi Conſuetudinibus abhorruit, uti ex Decretalium titulo *de Cenſibus* . Exemplum extat in Diplomate Ludovici II. Auguſti ann. 873. *Nullus Pontifex ullas præſtationes contra morem canonicum ſuper-*

im-

imponere, aut exigere valeat. Injuſtarum hujuſmodi exactionum (quæ *occaſiones* quoque appellabantur: uti ex lege 37. Ludovici Pii Imp. *de injuſtis occaſionibus, & conſuetudinibus noviter inſtitutis*) Sæculo IX. accuſatus fuit ad Concilium Romanum Johannes Archiepiſcopus Ravennatenſis. Quapropter titulo Decretalium *de exceſſibus Prælatorum in ſubditos* adeſt Alexandri III. Reſcriptum, quo edicitur, ne Prælati irrationabiliter gravent ſubditos. Rogerius interim ex inviſtiſſima Nortmannorum ſtirpe primus Rex noſter, de hac re ſolummodo cavit, incolas Civitatis, vel Caſtri cujusdam in Feudum dati, & parere utili domino, & ei, ubi neceſſitas expoſtularet, opitulari. At certum cupiditati modum minime præfinivit. Quapropter mihi ſedet opinio, ſub Rogerii ditione Burgenſium officia, ac Feudatariorum jura fuiſſe harmonice contemperata: ſaltem humanius Barones cum ſubditis ſuis egiſſe. Verum enimvero poſt Rogerii exceſſum Baronum animi audacia, atque ambitionis æſtu adeo abrepti erant, ut ſæpiſſime peſſum irent, & in Regem præfracte conjurarent. In tanta confuſione, atque in turbidis Regni re-

bus, nullus dubito , Feudatarios, Eccleſia-
rumque Prælatos cœpiſſe variis egeſtatis
ſpeciebus , ac neceſſitatum obtentu , pe-
cuniam a ſubditis extorquere ; iiſque im-
mane quantum graves eſſe . Ita optimis
inſtitutis ſolent homines abuti ! Guilelmi
enim regnum ſeditionibus refertum , &
Baronum perfidia inſigne . Is autem, pa-
catis rebus, Baronum ingeniis refrænatis,
ſeditionumque auctoribus enectis , armo-
rum, & legum vim intendit, ut Feuda-
tarii in officio continerentur . Atque ſi
in aliis malus , in hac re procul dubio
optimus , hominum Feuda incolentium
incolumitati conſultiſſima Juris ratione in
laudata Conſtitutione proſpexit . Et ſicuti
Prælati Eccleſiarum , *Comites* , *Barones* ,
& milites, ſubventionum prætextu , pro
ſuæ voluntatis arbitrio ſubditorum crume-
nas emungebant, abradebant; & præ aliis
eſt apud Falcandum illuſtre exemplum
Burgenſium Siculorum a Joanne Lavardi-
no Feudatario diverſimode oppreſſorum ,
atque ad libertatem proclamantium ; ita
voluit Guilelmus *tam duræ ſubjectorum op-
preſſioni miſericorditer providere* ; ſpecieſ-
que definivit ; præter quas nullum Baro-
nibus jus foret adjutorii , & quidem *mo-*
dora-

derate, exigendi. Guilelmus deinde poſt priora Conſtitutionis verba, momentoſa quidem, & humanitatis plena, ſpecies recenſet, quibus Feudatario Laico adjutorii exigendi jus foret. Primo *in redimenda perſona Domini* (Baronis) *ſi forte ab inimicis noſtris in ſervitio noſtro* (non vero contra Regem militans) *captus fuerit*. Nam ex bello Regis juſſu ſuſcepto, univerſo Regno proſpectum intelligitur: hinc redimere Baronem tenentur univerſi. Principibus etiam hoc jus competit, ſed jure Principatus ſui. Digniſſimum obſervatu eſt, quod ſcribit Krantzius *Lib. II. Vandal. cap.* 33., tertio a Vandalis Luenotto Rege Daniæ capto, exhauſtoque ærario, *Feminæ locupletes in Regno*, *Regiam ſortem commiſeratæ*, *ipſæ de ſuis ornamentis aurum contulerunt pro illius redemptione. Qua pietate commonitus Rex jam redemptus*, *legem de ſucceſſione feminarum*, *quæ iniqua pridem illis erat*, *maribus æquavit*. Secundo *pro faciendo filio milite*. Exempla congeſſit Alteſerra *de Ducibus II.* 2., necnon Choppinus *de Domin. Franc. III.* 4. Miles apud ſequioris ævi ſcriptores is dicebatur, qui militari cingulo accinctus erat; & *Eques* au-

 die-

diebat. Apud Romanos, qui militiæ dignitatem quandam conſequebatur, cingulo dicebatur donari; quo perſæpe accingebatur ab ipſomet Principe. Similiter medio ævo, qui militiam aut ex dignitate, aut ex beneficio, ſeu Feudo, Domino debebat, armis omnibus ab eo inſtruebatur, quo ſui militis in poſterum partes ageret: atque ita armorum traditione *adoptabatur in militem*; ut, qui arma conferebat, patris; qui accipiebat, filii vicem obtineret. V. Cangium. Septentrionalium vero populorum militia utplurimum peditum manipulis conſtabat. Franci tamen militabant Equitum turmis; quod ſummo ducebatur honori Vaſſis, Leudis, & Prælatis Eccleſiarum. Quo autem Principes nobilium animos ad bellum vehementius incitarent, eos ſollemniis quibusdam militaris muneris principia capeſſere voluerunt. Hinc factum eſt, ut non quicumque præliator, uti apud Romanos, *miles* diceretur, ſed hoc nomen honorificum ejuſmodi nobilibus bellatoribus reſervatum fuiſſet. Quum itaque magnis opus eſſet impenſis pro faciendo filio milite, ac pro militaribus rebus parandis, debet Feudatario ſubveniri. Idem ad Feudatarium

tarium ipſum exporrigi poteſt, ſi ex neceſſitate militiam ſuſceperit, puta pro conſervatione bonorum, vel ſui generis nobilitate tuenda. Tertio *pro maritanda filia, vel ſorore.* Jure Langobardo filiæ, etiam inopi, nihil ex Feudo debebatur: ſed Germanico inops filia ex Feudo dotem accipit. Ludewig. *Juris Publici Lib. I. opuſc.* 4. *Diſſ.* 4. Leo Oſtienſis *Chronicæ Caſin. IV.* 25. Quod ſi egeſtate Baro prematur, adjutorium pro filiæ, ſororisve nuptiis exigit. Exemplis hanc rem nobilitare placet. In antiquitatibus Eſtenſibus locus Guilelmi Appuli adeſt. Is libro III. agit de Roberto Guiſcardo Duce Apuliæ, & Calabriæ, qui dum Hugoni filio Azonis II. filiam nuptui traderet, a ſuis adjutoria recepit. Petrus de Vineis *Epiſt. V.* 16. de Friderico ſcribit, Juſtitiario Campaniæ mandaviſſe, ut pro filiæ chariſſimæ nuptiis collectas exigeret: Ait Bodinus *de Rep. I.* 7., *Libertis, quos manus mortuas vocant, pecuniam imperant patroni, ut filias honeſtius collocare poſſent: quod a Romanis apud nos permanaſſe, credibile eſt.* Sane Romanorum clientes, ut filiæ Patronorum nuptui tradi poſſent, pecuniam conferre debuiſſe a Romuli æ-

tate, ſcripſerunt Halicarnaſſenſis *Antiqu. Rom. Lib. II.* Polib. *Hiſt. VI.* Plutarch. *in Romuli vita*: itaut nonnullis videatur, adjutoria Baronibus præſtanda, non quia ipſi ſervitium, adhoam, aliaque onera extraordinaria Regi præſtant, quod probavit Yſernia *in d. Conſt.*, ſed ad ſimilitudinem Romanorum clientum. Caligula quoque pro filiæ nuptiis collectam recepit a Populo. Suetonius *in ejus vita cap.* 42. At vero major indigentiæ ratio eſt, ſi duas Baro filias in matrimonium collocaverit. Quare eadem adjutorii exigendi facultate utitur. *de Franchis dec.*306. Tum etiamſi ejus filia vota in monaſterio nuncupare, Deoque ſe dicare maluerit. Carolus II. Andegavenſis (cujus Capitulo *ſtatuimus*, *quod Comites*, *Barones &c.*, aliiſque Conſtitutio noſtra recentatur, eique ſubrogatur), ad amitam, & ſororem Patris Conſtitutionis ſententiam porrexit. Idipſum de maritanda nepte ex filio primogenito, declaratum eſſe in Regeſtis Roberti, teſtatur Afflict. *in d. Conſt.* Addunt Pragmatici, pro maritanda filia Baroni adjutorium deberi, nedum ut ei ſuccurratur, ſed ut obſequii veluti teſſera præbeatur: hinc pro neceſſaria dote, ſemper præ-

præſtari. De Franchis *deciſ.* 73. Quæ diximus, feminæ, quæ ſponſalia tantum contrahat, vel monaſterium ingrediatur, aptanda minime ſunt. *de Franchis deciſ.* 42. Requiritur ſane, ut matrimonium ſit contractum, & profeſſio in monaſterio ſollemniter emiſſa: tunc enim actus perficitur; & irrevocabilis redditur; & tunc onus ſolvendi adjutorium imminet: ſecus ſubditi in diſcrimine forent illud amittendi. Majus autem ſubſidium præſtatur in feminis maritandis, quam in monachandis. *Urſillus ad Afflict. dec.*136. Tametſi enim ſpirituale conjugium carnali potentius, ac favorabilius ſit; *de Franchis d. dec.*42.; hac tamen in re non ſtatus perfectior, & nobilior, qui ſuſcipitur, inſpiciendus eſt; ſed qui magis Patri oneri eſt. Ad hæc, ſi Feudatarius poſſidere Feudum deſinat, forte quia alienat poſtquam viro filiam conjunxerit, jure etiam adjutorium petet: tempus enim attenditur, quo naſcitur obligatio ſolvendi, non tempus ſolutionis, quæ variis ex cauſſis poteſt differri. Obſerva pariter, quod denegari adjutorium nequeat, ſi non pater Feudatarius filiam dotet, ſed aliquis ex conſanguineis benevolentia ductus; *de Franchis dec.*73., vel ſi

ea

ea nubat indotata. Hoc enim onus, ut dixi, ſubditis injunctum eſt, non tam ex indigentia Feudatarii, quam ex eorum obſequio. In Feudo novo jus Feudatario non eſſe adjutorium exigendi, teſtatur *de Franchis dec.* 23. quia feminæ, quæ ex Feudatario non deſcendunt, ab hoc beneficio excluduntur. Debetur autem iſthæc ſubventio, etiam in Feudo emto cum pacto de retrovendendo. *de Franchis dec.* 76; & in Feudo, quod non præſtat ſervitium, nec ſolvit relevium. Neque adjutorium præſcribitur ſpatio 30. annorum, ſi occaſio defuit illud petendi. *deciſ.* 131. *de Franchis*. Illud magnis animis, atque acerrime in controverſiam deductum eſt, an cum ſcateat, affluatque divitiis Baro, Univerſitas vero ipſius Feudi paupertate langueat, debeatur, necne, hujuſmodi ſubſidium? Negant plerique; tum quia ceſſat legis finis; quæ nihil præſcribit, quod ſine cauſa explendum ſit; tum quia Patrem divitem filii alere non tenentur *L.* 2. *C. de alendis liberis*; atque ita pluries deciſum. Afflict. *in tit. de adjutorio exigendo. rubr.* 17. Capiblanc. *in Pram.* 1. *de Baron.* Affirmant non pauci: & deciſiones non deſunt, quæ huic ſenten-

tentiæ adhærent. V. Thorus *in Com. Deciſionum part. 2. v. adjutorium*; qui addit, non poſſe a Baronibus adjutorium remitti ſine Regis aſſenſu. Pro componendo hoc diſſidio alii diſtinguunt inter voluntariam, & neceſſariam ſubventionem. Ego autem puto, rem ſubacto Tribunalium judicio remittendam fore; ut pro rerum adjunctis decernant, quod æquum bonumque videtur: cum non raro abnorme ſit, Univerſitatem ſtricto juris rigore in præceps ducere; & Baronem pingui fortuna effloreſcentem inutiliter ditare. Generatim vero, ubi de adjutoriis quæſtio incidat, cognitio olim ad Juſtitiarios Provinciarum pertinebat; *Cap. Comites*; hodie ad Regiam Cameram Summariæ. *Afflict. deciſ* 267. Quarto *pro emenda terra, videlicet ea tantum vice, cum eam emerit pro ſervitio noſtro, vel exercitus noſtri*. Splendide in hoc erravit de Afflictis, qui exiſtimans in Conſtitutione agi tantum de ſubventionibus a ſubfeudatariis debitis eorum Senioribus, quum ad hanc ſpeciem gradum ſiſteret, maximopere demiratus fuit, novum onus, nec leve, inductum fuiſſe in ſubfeudis. Atque, ut rem componeret, verbis illis *pro emenda terra*, hæc

ad-

addidit, *ſubaudi cum Vaſallis pro augmento ſui ſtatus*. Verum cui bono ſubfeudatarii emere debebant terram, ut eorum Dominus diteſceret? Cum autem Conſtitutio non agat de ſubfeudatariorum officiis ex contractu, ſed de Burgenſium ſubventionibus ex quaſi contractu, in Domini neceſſitatibus, hæc ſpecies intelligenda, ſi Baro allodium emere velit, ut homines Feudi ab aliis præſtationibus in Conſtitutione etiam præfinitis, relevaret: hinc dicitur *pro emenda terra*, non *pro emendo Feudo*: per Feudi enim emtionem, nec qui daret a ceteris oneribus relevaretur, nec qui adjutorium hocce reciperet. Vel, ſi mavis, intelligenda de inope Barone, qui pro Regis, vel *exercitus* Regis *ſervitio*, terram emere teneatur. At licet Matthæus de Afflictis, Andreas de Yſernia, aliique putaſſent, Guilelmum non loquutum de Burgenſibus, ſed de iis, qui ex contractu ſervire tenerentur, affirmarunt tamen, alium fuiſſe vetuſtiſſimum morem: nimirum, Burgenſes ipſos adjutoria Domino Feudi præſtitiſſe. Optime vero idem de Afflictis legalem adjutorii exigendi originem rimatur; deducitque a ſacramento fidelitatis, quod poſſeſſores burgen-

genſium bonorum in Feudi territorio exiſtentium, Feudatario præſtare debebant; & quidem *corporaliter*, uti opinor, videlicet *tactis ſacroſanctis Evangeliis*, quod proprium Laicorum erat. Nam *σωματιχοι ορχοι corporalia ſacramenta* Epiſcopis, ac Sacerdotibus a canonibus interdicta fuere; quos jurare ſatis erat *in verbo ſacerdotis*, & *veritatis*. In laudatam de Afflictis ſententiam pedibus ire mihi placet: ſiquidem Gentium Borealium regiminis ratio id ferebat, ut nulla eſſent bona, quæ directe, vel indirecte belli oneri ſubjecta non fuiſſent. Speciebus autem hactenus expoſitis ex Guilelmi mente, alia addenda ex Friderici II. Conſtitutione *Comitibus*, *Baronibus*, *ac univerſis*, quæ de eodem argumento concepta eſt: nimirum *pro militia fratris*, *cum Comes*, *Baro*, *aut miles ſuis expenſis militem fecerit*. Ab uſu tamen ſubventiones pro militia receſſerunt. Milites namque tam gregarii, quam ipſi exercitus Duces, ſolent publicis impenſis militiæ nomen dare. Inſuper Fridericus *τὸ modice* Guilelmi interpretatus eſt *pro facultatibus hominum*, *&* *expenſarum qualitate*. Incertum igitur hoc ſervitium Burgenſium erat. Ceterum exigi ſolent caroleni

ni quinque pro qualibet familia Feudi, ſive *foculare*, ut ajunt; &, ſi minor neceſſitas urgeat, aſſes 25. *Urſillus ad dec.136. de Afflictis*. Præter expreſſas cauſas, Baroni adjutoria exigere neſas eſſe, & Guilelmus ſtatuit, & Pragmatica 10. *de Baronibus*; qua novæ exactiones, onera, ſervitia ſine Regis expreſſa licentia, inhibentur. Quare per inveſtituræ clauſulam *cum collectis* non intelliguntur novæ, ſed jam conſtitutæ. Afflict. *in tit. Feud. quæ ſint Regaliæ. de Francbis deciſ.* 56. Pergit Guilelmus ad Prælatos Feudatarios, qui in capite Feuda tenent: atque has conſtituit ſpecies: *pro conſecratione ſua: cum ad Concilium a Domino Papa vocati fuerint: pro ſervitio exercitus noſtri; ſiquidem in exercitu noſtro fuerint: vel ſi vocemus eos, vel miſerimus eos pro ſervitiis noſtris: vel corredo noſtro; cum in terris eorum nos hoſpitari, vel corredum* (legitur *corredium* in editione Conſtitutionum Lindebrogiana) *ab eis recipere contigerit*. Ut autem in mea Recitatione ad laudatam Conſtitutionem, germani interpretis munere defungerer, ſi non pro rei dignitate, ſaltem pro temporis anguſtiis, egi de jure metatus ex titulo Codicis *de metatis*,

&

& epidemeticis, & ex veteri hoſpitii onere, quod Prælatis incumbebat. V. Franc. de Roye *tract. de miſſis Dominicis*, qui a Balutio præmiſſus editioni Capitularium Regum Francorum; & Thomaſſinum *de V. & N. E. D. parte III. Lib. I. cap. 39*. Idipſum ab Impp. Theodoſio, & Valentiniano ad Taurum Præfectum Prætorio reſcriptum *in L. 11. C. de SS. Eccleſ.* Verba feci de *procurationibus*, quas viſitantes Epiſcopi a locorum Clericis accipiebant: atque in tantam abuſionem iviſſe obſervavi, ut Synodo Lateranenſi III. an. 1179. *can.* 4., multum reciſum fuerit, non multum exactum, ſicuti ait Thomaſſinus idem *P. II. Lib. III. cap.* 80., qui tamen probat, eodem hoc medio ævo non defuiſſe, Epiſcoporum optima exempla, qui Apoſtolico more ſuas luſtrarent Parochias. Demonſtravi denique, ex Guilelmi verbis, Prælatos Eccleſiarum non per ſubſtitutos Regiæ Curiæ ſervitium Feudale præſtitiſſe; idque Feudi naturæ, quam unus Rex immutare poſſet, congruere; licet non raro per ſubſtitutos præſtaſſent. V. De Marca VIII. 19. Duarenus *de Feudis cap. 6.* Zieglerus *de Epiſcopo milite c. 11. §. 44.* Sed omnia referre nec decet, nec oportet.

§. 54.

§.54. *Tum angarias, & parangarias.*

In homines Feudi jura quædam ex inveſtituræ pactis habent Barones. Ita ſunt *angariæ*, & *parangariæ*; quæ Jure Romano patrimonialia provincialium munera erant, & præſtationes plauſtrorum ad publicas evectiones transferendas per publicam, vel transverſalem viam. *L. nullus. C. de fabricens. L.* 18. §. 21. *de mun. & hon. Cujac. ad tit. C. de curſu pub.* Gothofred. *ad L.* 4. *C. Th. de curſu pub.* Bergier. *de public. & milit. imper. Rom. viis.* in *Theſaur. Antiq. Rom. tom. X.* Medio autem ævo, *angarii* dicti, qui ſervitia propriis expenſis præſtarent, etiamſi Barones fuerint. Ita apud Cangium, & in Conſtitutione *Proſequentes. de pugn. ſublatis*. De more tamen dicuntur *angariæ* perſonalia ſervitia, quæ homines Feudi Baronibus cum mercede, ſeu *ſalario*, præſtant; & *parangariæ*, quæ ſuis ſumtibus. *de Afflictis in d. Conſt.* Angarios autem, & parangarios allodiali prædio, ſicuti adſcriptitios Feudis operas præſtare, plerique putant: atque tam hos, quam illos ab jure belli originem duxiſſe. Ita victis du-

rior

rior data conditio ; & potentiora jura conceſſa militibus. Hinc Principes & adſcriptitios , ſive villanos efficiebant ; & concedebant cum Feudis angarios, & parangarios. Qui ad perſonalia ſervitia tenentur, ſi ex Feudo alio migraverint, poſſe inde revocari, ex Conſtitutione *quisquis. tit. de revoc. tranſeut.*, jam diximus (§.38. *pag.*106. *&* §.49.). Num revocari poſſunt, ſi homines Feudi ad ſervitia non obſtringantur? Affirmant Doctores ob Conſtitutionis verba ; atque id confirmatum a Rege Roberto in Capitulo quodam ſuis temporibus adhuc exiſtente in Archivo Regiæ Syclæ, Fabius Jordanus teſtatur. At enim ex mente Conſtitutionis negandum. Nam in verbis, *qui tamen Dominis ſuis de perſonalibus ſervitiis minime tenentur*, quæ ſubſunt his, *Æqua lance ſancimus*, *ut . . . . redire ad terram Dominorum ſuorum compellantur . . . . . Eccleſiarum homines*, *Comitum* , *Baronum*, *vel Militum*, vel τὸ *minime* forte fortuna irrepſit, vel ſcriptum pro *minus*, ſive *parum*, uti Andreas de Yſernia putat. Certe enunciata verba exceptionis ſunt. Et ſupervacanea eſſent , ſi aliud a regula diſcrepans non efferrent. Jam vero angariarum , ac

L pa-

parangariarum pœna ab uno Principe irrogari poteſt. Et irrogata ſane antiquitus fuit. Statim vero evanuit propter Principum clementiam. Fridericus II. *in Conſt. quia frequenter. de homin. non ten. rat. ſer. vel feud.*, ne Baronibus inviſus foret, maniſeſte hanc imaginem ſervitutis non tollit: cavit tamen, ne quis ob *terram*, vel *Feudum* ab alio acceptum, ſine Regis licentia perpetuis operis ſe manciparet: tacite vero tollit; cum cauſam adjecit; ut ſine novo Regis aſſenſu *perpetuis ſervitiis*, ſcilicet angariis, & parangariis, nemo obligaretur. Novus itaque Baro uti eo jure, licet principio recte conſtituto, non poterat, niſi expreſſe Rex conceſſerit. *de Afflictis in d. Conſt.* Baronum deinceps ingenium id juris uſurpare pergit; & Friderici mens vel non intellecta, vel neglecta potius. Clauſula *cum angariis, & parangariis*, eſt *de ſtilo*, eaſque tantum comprehendit, quæ conceſſionis tempore adquiſitæ fuerint *juſto titulo*, *aut legitima præſcriptione*. Carolus V. *Pragm.* 16. *de Baronibus*. Sed & vix titulus, ſive Regis conceſſio, edi poteſt; & præſcriptio etiam immemorabilis, capitis liberi, non admittenda. Capyc. *deciſ.* 118.

Ne

Ne res exemplo careat, Parangaria illorum erat, qui ſine mercede unam operarum dietam quolibet anno debebant, in vinea Baronis fodienda, agriſve colendis; ad quam præſtationem nobiles adſtrictos non eſſe, tradit Philippus Maradeus *ſingul.* 15. Angaria autem cenſetur, ut ſingulis annis ad colligendos Baronis reditus; non extra Feudi fines, *Yſern. in cap. quæ ſit prima cauſ. amitt. beneſ.*, *Camerarius*, ſeu *Ærarius* a Regni Univerſitatibus eligatur. *de Franchis dec.* 128., qui anno tranſacto, ſive etiam biennio, modo conſuetudo id tulerit *arg. L.* 4. *C. de ſuſcept.*, rationes reddat. Novarius *de gravam. Vaſall. cap.* 163. & 164., culpamque præſtat, quia mercedem recipit; non vero caſus fortuitos, quia adminiſtrator eſt.

§. 55. *Et onera quædam ex ipſa re Feudali manantia.*

Non pauca jura ratione rei Feudalis ad Barones pertinent, cum in litteris inveſtituræ ſpecialiter conceſſa ſunt: non enim neceſſario Feudis adhærent. De iis ſtrictim heic ediſſerere non incongruum

 eſt.

eſt. Specialiter, inquam, ea concedi oportet. Si enim generatim conceſſio fiat *cum trapetis*, *furnis*, *decimis*, *terragiis*, *piſtrinis*, *hoſpitiis*, *tabernis*, aliiſque, non aliqua jura recens conceſſa exiſtimantur, ſed ea tantum, quæ inveſtituræ tempore præſcriptione legitima, juſtove titulo erant jam Feudo quæſita: nam hujuſmodi clauſulæ *de ſtilo* apponi ſolent. *d. Pragm.* 16. *de Baron.* Cavendum tamen, ne vis metuſve vetus, ceu præſcriptio allegetur. Inſuper videndum, num bona fides, ac juſtus titulus adſit. Nova quippe onera ſubditis ſine Regio aſſenſu imponi non poſſe, *ex Pragm.* 10. *eod.* conſtat. Tandem meræ facultatis facta præſcriptionem non inducunt. Quare hanc valituram dixerim, ſi aliunde de jure Baronis conſtet, & de adjunctis dubitetur. *de Franchis deciſ.* 124.

§. 56. *Sed nihil præter inveſtituram: hinc nonnulla jura Baronibus denegantur.*

Verum cum ea jura, quatenus in litteris inveſtituræ conceſſa ſunt, Baronibus conveniant; & aliunde Rex non præſumendus Feudi incolas, vel indigenas gravari

vari velle; proinde in patriis legibus præ ceteris cautum eſt, ſubditos pro arbitrio vendere poſſe, nulla Baroni prælatione conceſſa (qua olim utebantur. *de Marinis Reſol.II.* 161.), niſi in rebus quotidianæ neceſſitatis ob ſuæ familiæ uſum; *Pragm.* 15. & 20. *eod.*: tum, ne ſubditi inviti reditus, aut feudalia jura emere, nec conducere cogantur; nec reconducere, ſi ex priori locatione lucrum habuerint: quod enim Fiſco tribuitur *L.* 11. §. 5. *de public.* nefas Baroni deferre. *Pragm.* 13. *eod.* Præterea ſtatutum eſt, ne ex Univerſitatis demaniis Baro ſibi *foreſtas*, aut *defenſas* faciat, ſine Regio aſſenſu, & ſingulorum, quorum intereſt. *Pragm.* 11., *&* 21. *eod. de Franchis dec.* 197. Adhæc cautum eſt, Baronem eſſe veluti civem (non vero duorum civium jure gaudere; uti in S. C. deciſum contra Frecciæ, & Capiblanci opinionem. *de Luca ad deciſ.* 197. *de Franchis*) civiumque privilegiis moderate uti poſſe. *Pragm.* 12. *eod.*, adeo tamen, ut aliorum commoda civium, in rerum Univerſitatis communium uſu, minime imminuat; neque hoc perſonale jus aliis concedat. *Capiblanc. in Pragm.* 1. *eod. num.* 154. At cum particeps Baro ſit commo-

dorum, ab onerum parte præſtanda eum immunem haud eſſe, nemo vel ſubdubitaverit. Bovadill. *Lib. II. cap. 16. n.* 173. Demum Pragmatica 10. *eod.* ſancitum eſt, fidejuſſiones hominum Feudi pro Barone, cum vi elicitæ præſumantur, nullius momenti fore. Si vero læſio abſit, & illi ſponte ſua fidejuſſerint, recte eos contraxiſſe, tradit de Marinis *ad Reverter. Obſ.* 386.

CAP. IV.

DE FILIISFAMILIAS; UBI DE NUPTIIS VASALLORUM.

§. 57. *Quid de vetitis filiorumfamilias ſine patris conſenſu contractibus, Nuptiis, ac teſtamenti factione, patrio Jure cautum ſit, obiter explicatur.*

Quemadmodum ſervi dominicæ, ita patriæ poteſtati ſubſunt filiifamilias. Quæ de horum adquiſitione, coercitione, de Parentum auctoritate in judiciis, aliiſque cauta in Romani Juris libris inveniuntur, ſervantur in Regno. De contractibus, ac de Nuptiis filiorumfamilias quædam peculia-

liaria apud nos cauta occurrunt. Romano Jure, ſi excipias voti, mutuæque pecuniæ cauſam, *filiusfamilias ex omnibus cauſis tamquam paterfamilias obligatur*. *L.* 39. *ff. de O. & A.* Sed Regni Jure vetitum eſt filiisfamilias contrahere, & obligari, *niſi in præſentia, & expreſſo conſenſu ipſorum patrum, vel fuerint emancipati, ſeu habitent, & vivant ſeorſum ab eorum patribus cum eorum uxoribus, & familia*. *Pragm.* 1. *de S. C. Maced.* Poſtrema hæc verba monſtrant, non ſeparatam habitationem ſatis eſſe; ſed & œconomiam a paternis rationibus ſejunctam eſſe oportere: idque tantum ineundis obligationibus filios ſtatim idoneos reddit; eoſque in hac re quaſi patria poteſtate liberat: quoad cetera manent in poteſtate filii. Eadem Pragmatica in Notarios, & Actuarios, qui contractus, atque obligationes filiorumfamilias ſcriberent, pœna irrogatur privationis officii, & unciarum centum; quæ tamen pœna eos non manet, ſi de eorum conditione illi interrogati, ſe patresfamilias, ut creditorem deciperent, fuerint mentiti. At obligatio irrita quoque erit in hac ſpecie: & hoc plus *ex Pragmatica* 63. §.

ult. de Off. P. C., filiifamilias falſi accuſari non poterunt ; ne pater indirecte ad contractum implendum adigeretur . Qua in re maxime a Romano Jus noſtrum recedit. Ex Pertinacis enim Reſcripto *L.* 1. *ad S. C. Maced.*, ei, qui ſe patremfamilias mentitus eſt, Macedoniani auxilium denegatur ; cujus exceptio (num veri nominis exceptio hæc ſit, alibi diſputavimus) creditori obeſt, ſi ſciverit, vel ſcire ſaltem potuerit, cui pecuniam credidit, filiumfamilias eſſe . Contra ex Jure noſtro omnes filiorumfamilias contractus irriti pronunciantur, ſciverit, ignoraverit creditor eorum conditionem . At præter ſpeciem in Pragmatica exceptam, ex quibus cauſis filiusfamilias Romanis legibus propter pecuniam creditam conveniri poteſt, ex iisdem ferme Jure noſtro ex quocumque contractu poteſt obligari : puta, ſi expreſſe, taciteve pater juſſerit *L.* 1. *ff. de exercit. act.* ; ſi poſt tempus ratum habuerit contractum *L. ult. C. de S. C. Maced.* Aliud ſentientes Caravitam, & Rovitum, tranſverſos egit illud *in præſentia, & expreſſo conſenſu* . Verum hoc ſignificat, ſolam præſentiam non prodeſſe, neque ex ea conſenſum argui . Nec tacitum

tum conſenſum omnem, præſertim jure definitum, ea verba excludunt; ſed qui ex præſumptionibus, maxime infirmioribus, arguitur; uti eſſet ſola præſentia patris. *Paſchalis de viribus pat. poteſt. c. 6.* Ceſſat inſuper Pragmatica, ſi res verſa ſit in patris utilitatem. *tit. ff. de in rem verſo*. Non vero ſi filiusfamilias paternis creditoribus ſe obligaverit: eſſet enim novatio ſine patris conſenſu. Novarius *in d. Pragm.* Quinimo dicendum idipſum eſſet, ubi patris conſenſus acceſſerit, ejus ſolius utilitatis gratia. Rovitus *in d. Pragm.* Nemo enim in rem ſuam auctor fieri poteſt. *arg. L.* 1. & 7. *ff. de auct. tut.* Recte quoque ſolus obligatur filiusfamilias ex peculio caſtrenſi, vel quaſi. Verum feliciſſimus Rex noſter *Pragm.* 3. *de S.C. Maced.*, ad evitandas fraudes, ingentes uſuras, ac ſuperiorum damnum, ſanxit, mercatores argentum, gemmas, ſerica, & ſimilia, minime vendere alieno juri ſubjectis; nimirum filiisfamilias, etiamſi peculium habuerint caſtrenſe, vel quaſi; nuptis mulieribus; & iis, qui ſubſunt tutoribus, curatoribus, aut moderatoribus, quos *ſupraintendentes* vulgo dictitant. Quoniam vero apud nos

ad

ad ſe ſe obligandum inhabilis edicatur filiusfamilias; hinc licet Jure Romano, ſi tamquam paterfamilias publice haberetur, fruſtra ſe Macedoniano tueretur Senatuſconſulto *L.*3.*ff. eod.*, apud nos tamen nullius roboris contractum in hac ſpecie eſſe, putarim. Si vero ille mercator ſit, Pragmatica procul dubio ceſſat. *d. Pragm.* 3. Et ſi Pater, vel filiusfamilias ſolverit, condictionem ſoluti non habet; *L.*10. *ff. eod. &* *L.*40. *ff. de condict. indeb.* Verum ubi filius Macedoniani exceptionem omiſerit, ea uti poſt ſententiam, ad ejus exequutionem impediendam, poteſt. *L.* 11. *ff. ad S.C. Maced.* Porro filiorumfamilias ſponſalia, & Nuptiæ ſine Patris conſenſu juſtæ non erant ex Romanis Juris principiis, necnon veteri Eccleſiaſtica diſciplina. *can. aliter. cauſ.*30. *q.*5. *& can.*1. *cauſ.*32. *q.*3. Poſtmodum eas conſtare plerique omnes credidere: forte, quia Germanicæ Nationes vix quidquam patriæ poteſtati tribuebant. Tridentinum Concilium ideo hujuſmodi Nuptias illicitas, non vero irritas pronunciavit. Id perperam produci ad ſponſalia cœpit. At Ferdinandus IV, quem diutiſſime ſoſpitet, fortunetque Deus, Nuptias, & ſponſalia filiorum, ſeu in poteſta-

te,

te, ſeu emancipatorum, ſine paterno conſenſu omnino prohibuit. *Pragm.* 1. *de matrim. a filiisfam. contra.* Si ſpreverint paternum conſenſum filii, exheredes ſcribi poſſe cavit; filiabus dotem denegari: hanc vero pœnam non obtinere, ſi maſculi 30, feminæ 25 annum exceſſerint, & nuptias, etiam impares, dummodo non inhoneſtas, vel infames contraxerint. At ſi pater injuria diſſentiat, Sacro Conſilio datum eſt paternum conſenſum ſupplere. *Collect. Regiar. Litterar. tit.* 14. *litt.* 2. *ad* 8.; uti etiam ex lege Julia, & Conſtitutione Severi, & Antonini *L.* 19. *ff. de Ritu Nupt.* Quatenus vero liberi in poteſtate conſtituti parentibus adquirant, ex Jure Romano noviſſimo, ac peculiorum diverſitate dijudicandum. Etſi enim apud Langobardos, qui hac in re a primarum Germaniæ Gentium inſtitutis deſciverunt; Heinecc. *exercit. de uſufruct. matern. Jur. Germ.* §. 26., nulla parentum poteſtas fuiſſet, ut quæ bona adquirerent filii, horum propria exiſtimarentur; Andreas de Barulo ad *LL. Langob. tit. de patr. poteſt.*; apud nos tamen id non obtinet, ex quo præ Langobardico Jus Romanum vigere cœpit. Præterea quatenus filiisfamilias teſtari liceat,

ceat, ex Jure Romano quoque definiendum. Nimirum de caſtrenſi tantum, & quaſi caſtrenſi peculio ii teſtamenti factionem habent. *L.ult. C. de inoff. teſtam.* De adventitio irregulari ex Juſtiniani Novella 117. *c.* 1. pro lubitu *ſtatuere* poſſunt. Verum hoc inter vivos poſſe, intelligimus ex verbo διοικεῖν. Sæpe enim teſtari nequeunt, qui alienare inter vivos non prohibentur. Vinnius *in tit. J. quibus non eſt permiſſ. fac. teſt. n.* 6. At Jure non ſcripto Neapolitano filii, & filiæfamilias, non de adventitiis omnibus, ſed de bonis profectis a matre, vel materno latere, teſtari poſſunt; dummodo legitimam relinquant patri, vel ſuperiori parenti ex paterna linea. *Conſ. un. de filiisfam. volent. teſt.* Atque hoc modo, præter Jus Romanum, earum pater rerum uſumfructum amittit, ſi filius aliis legaverit. Immo legitimam patri legare eum non debere, ſi matrimonium initium fuerit ex pactis *Capuani,* & *Nili*, tenent Interpretes: Nam facilius ex teſtamento quis excludi ab hereditate poteſt, quam ab inteſtato. Piſanellus *ad Conſ. ſi quis vel ſi qua*. Ex iiſdem pactis diſputatum eſt, an filius ex aſſe patrem ſcribere heredem in maternis bonis

boniſ poſſit, præteritis fratribus uterinis, aliisve ex materna linea proximioribus. Et poſſe placuit S. Conſilio. Cam. Salern. *ad d. Conſ. unic.* Nam ea pacta, quæ patrem ab inteſtato tantum excludunt, pro non ſcriptis habentur, cum filius teſtatus obierit. Ea vero Conſuetudinis diſpoſitio ad actus inter vivos extendenda non eſt; quod Napodanus facit. V. de Franchis *deciſ.* 71.; neque ad bona extra Civitatis fines. Hinc ſi alia materna bona extra, alia intra Civitatis diſtrictum ſint, partim teſtatus, partim inteſtatus Neapolitanus filiusfamilias decedit; de Franchis *dec.* 546. Cum extraneo autem a filio inſtituto partem faciunt germani, vel alii, qui ex communi Jure, aut Conſuetudine, cum patre concurrunt; non vero cognati remotiores. de Franchis *dec.* 92., *&* 486. Interim his ad patriam poteſtatem dignoſcendam, atque ad patrii juris illuſtrationem delibatis, num filiifamilias dare, & adquirere feuda poſſint, hic dicendum foret. Sed hoc argumentum ſupra pertractavimus (§. 33., *&* 41.). Ecquis non faſtidiat crabem recoctam?

§. 58.

§.58. *Baronum Nuptiæ cum Regis conſenſu ineundæ* .

Sed patriæ poteſtatis (quæ Jure Langobardo ferme ignota eſt. (§.57.*p*.171.) *Andr. de Barul. ad LL. Lang. tit.* 8. *L*.12. *Groenewe. de LL. abrog. ad tit. Inſt. de patr. poteſt.*) jura nonniſi in juſtos liberos competunt. Hi vero vel fiunt legitimatione, & adoptione, vel ex juſtis nuptiis naſcuntur. Principes Chriſtianos uti in ceteros, ita in matrimonialem contractum poteſtatem habere, res eſt quam teſtatiſſima. Quare in Regni Conſtitutione, ſub titulo *de matrim. contrab.*, juſtas non eſſe clandeſtinas nuptias, eaſque ſi qui contraxiſſent, liberos inde ſuſceptos *neque ex teſtamento*, *neque ab inteſtato habituros heredes legitimos*, ſanxit Rogerius; necnon feminis clandeſtine nubentibus dotem non dari. Subdit præterea, *Viduis autem volentibus ducere virum*, *his neceſſitatis vinculum relaxamus*. Quid iſtuc menſtri eſt? Œdipo opus eſt conjectore. Inſuper Fridericus II. *in Conſt.* 2. *ſub tit. de uxor. non duc. ſine permiſſ. Cur. III.* 33. ſine Regis conceſſione exteros ducere conjuges ſubditis tam maribus, quam feminis

nis interdixit: qui vero, quæve, indicto Principe, contraxiſſent, bonorum omnium jacturam facere, ſanxit. Princeps etiam, tamquam Feudi Dominus, ſuum conſenſum accommodare jure poteſt in ſui Vaſalli Nuptiis. Ejus namque intereſt, ne quis conjux forte ſibi infenſus hoſtis, ſaltem ſuſpectus, vel ingratus per matrimonium obtrudatur. Id, ubi Feuda in Europa recepta fuere, conſtantiſſime obtinuit. Launoi. *p.* 3. *ar.* 2. *c.* 10. Heinecc. *Exercit.* 20. *de ſuprem. Princip. Magiſtr. tut.* Atque jus hocce merito Regibus vindicatum, cum Duces, Comiteſque regalia affectare cœperunt, in ſuis territoriis facillime uſurparunt. Quinimo ex nubentium virginitate puellarum falcidiam (nefas!) ſumere conſueverant. V. Freſnium *v. marchetum*. Eorum licentia, quæ *maritagium* audiebat, opus erat, ubi ſervilis conditionis homines, & adſcriptitii Nuptias inire cupiebant: pro eaque obtinenda hi cenſum, vulgo *marchetum*, ſolvebant. Ac ſæpe in Feudorum inveſtituris tutoris dandi, atque in hujus generis perſonarum nuptiis conſentiendi facultas concedebatur. Jam vero hanc Juriſprudentiam, nimirum Feudatariorum nuptias cum Regis conſenſu

ſu celebrari oportere, in Siciliam deduxere Nortmanni; primumque ſcripto confirmavit Guilelmus I. *Conſt. Fratribus III.* 17. Verum, ut Feudorum devolutioni via pateret amplior, ea tempeſtate Regius conſenſus ſæpenumero denegatus fuit. Hinc Baronum ſeditiones, atque inimicitiæ. Hugo Falcand. *Hiſt. Sic.* Guilelmi legem probavit Fridericus *Conſt. Honorem noſtri diadematis III.* 33.: adeout Comites, Barones, Milites, omneſque Feuda quaternata habentes, ſine Regis venia nec uxorem ducere poſſent, aut matrimonio collocare filias, ſorores, neptes, nec de dote ſtipulari. Huic juri nil quicquam derogarunt Pontifices. Et vero quum nuptiis ſuperſtruatur ſocietas, civiumque animi ad fidem nectantur, eas ab Jure Civitatis eminus elongari permittendum non erat. Fridericum tamen his Conſtitutionibus Religionem perturbaſſe, adeo ab Interpretibus, præſertim Andrea de Yſernia, conclamatum eſt, ut ſub Andegavenſibus, Regalium jurium incurioſis, lege Caroli II. illis derogatum fuerit; ac libertas cuique Nuptiarum conceſſa. Quod ſi feudiſtica dos interceſſerit, peti a Curia aſſenſum, cavit Carolus idem *cap. item ſtatuimus*,

mus, quod licitum ſit Baronibus, ubi *libere matrimonia contrahant . . . ſine aſſenſu Curiæ impetrando, dummodo feuda, vel res feudi non dentur in dotem, & dummodo eadem inter fideles contrahant, & fiant*. Et Carolus I. cum filiis, vel filiabus proditorum non eſſe matrimonia ſine Regis aſſenſu ineunda, ſtatuit *cap. ſatis conſtat*. Verum id abrogavit Carolus II. *in cap. humanitatem*: modo illi criminis Majeſtatis rei non fuerint. *cap. item ſtatuimus, quod filiæ proditorum*. Hodie vero in Baronum nuptiis Regis aſſenſu opus eſt; eæque, ſi juſta ſubſit cauſa, impediuntur. Exolevit ideo Capitulum Honorii IV., quo cuilibet, ſive Vaſallus foret, ſive Burgenſis, liberum nubendi arbitrium permittebatur. Lunig. *Ital. Diplomat. tomo II. an.* 1285.

§. 59. *Quid in Jure Feudali matrimonium ad morganaticam?*

Cetera, quæ circa nuptias aliis legibus ſtatuta ſunt, etiam in Vaſallo obtinebunt; cum ceſſet ſpecialis ordinatio feudalis *arg.II.F.*1. (§.29.) Unum notatu dignum de Jure Feudali occurrit, quod nimirum viduo ſuperſti-

M tem

tem habenti prolem ex diſſoluto matrimonio, liceat ad ſecunda vota convolare, (ad *ſecundarias uxores* minus recte dicit Pufendorfius *de J. N. & G. Lib. VI. cap.* 1. §.*ult.*), hoc adjecto pacto, ut ex his liberi ad ſucceſſionem paternorum bonorum nullum jus ſortiantur; verum contenti eſſe debeant certa adſignata portione. Hoc matrimonium, quod in pluribus Germaniæ locis in uſu eſt, *ad morganaticam* vocatur *II. F.* 29., ubi hæc ſpecies refertur. Quidam ex nobili uxore filium ſuſcepit; qua e vivis ſublata, minus nobilem duxit, hac conditione, ut liberi ex illa naſcituri, ei non ſuccederent; nec uxor quid amplius conſequeretur, quam mane nuptiarum die ipſi in præmium allatæ, & abreptæ virginitatis donaverat: quæ donatio dicta fuit *morgengaba*; & hoc matrimonium *ad morganaticam*. Vocem iſtam Matthæus de Afflictis *ad d. locum*, aliique, corruptam a Langobardis fuiſſe dicunt, quaſi mortis cauſa donationem indigitet. Alii, uti Hotomanus, Grotius, & Voſſius, relati a Struvio *cap.* 9. *th.* 5. *num.*8., ex Germanorum voce *morgengabe* deducunt; quæ, ut diximus, erat matutinale donum, quod poſt primum concubitum pro præmio, & pretio

tio non delibatæ (nam delibatio apud Romanos per oſculum contingere dicebatur), ſed deprehenſæ virginitatis, ſponſæ ſponſus donabat. Hodie non ex Jure, ſed ex pacto dependet: & dubium non eſt, quin etiam vidua in pactis ſibi *morgegabam* ſtipulari poſſit; uti bene obſervat Roth *in Pandectis Feudalibus cap.*7. *quæſt.*2.V.Feltman. *tr. de impar. matrim.*, & Bened.XIV. *De Synodo Diœceſana Lib.XIII. c.*23. *n.*12., *& tomo III. Inſtitutionum Juris Publici*. Atqui matrimonium *ad morganaticam* cum *morgengaba* confundi non poſſe, putamus. Hæc enim donatio eſt ob uſum corporis ſponſæ: *morganatica* vero ſunt certi in uxoris, liberorumque ſubſtentationem pactis dotalibus determinati reditus, vel portio bonorum. Quare idem Rothius iſtiuſmodi matrimonium appoſite definit: viri illuſtris, & uxoris inferioris ordinis ea lege contracta conjunctio, ut ex eo ſuſcepti liberi certis bonis, & in pactis dotalibus determinatis reditibus contenti vivant; & ſe a bonis avitis, dignitate, ſive titulis, & inſignibus abſtineant. Neque hoc pactum plane illicitum dici poteſt. Cum enim Jus ipſum Naturæ ſucceſſionem nullam determinet, poteſt quis, ſi uſus admittat, pacto et-

iam liberis ſuis certam portionem adſignare, & a ſucceſſione illos excludere: quæ ipſiſſima ſunt Struvii verba *d. loco*. V. Grotium *de J. B. & P. Lib. II. cap.* 7. Covarruv. *Reſol. Var. III.* 6. Finis autem hujus matrimonii eſt, ut illuſtres familiæ conſerventur, liberique priorum nuptiarum per diviſionem Feudorum minime ſentiant detrimentum. Neque his adimitur, niſi quod civile eſt: dignitas enim parentum per leges Civiles cum liberis communicatur: totus vero paternæ hereditatis as numquam iis Jure naturali tributus eſt. Pactis ergo, præſertim ſecundum Germaniæ mores, de futura liberorum ſucceſſione conveniri licebit. Verum dicto loco *II. F.* 29. adverſari videtur locus alter *II.F.* 26. §. *filii*; ubi aſſeritur, filios ex ejuſmodi matrimonio natos in Feudo ſuccedere. Quidam, ut rem componant, addendam in textu abnutivam particulam putant. Cujac. *in d. locum*. Diſtinguunt alii. Vel enim pactum conceptum eſt, ut conſtet, patrem filios excludere non ab allodiali tantum, verum etiam a ſucceſſione feudali: vel non eſt ita conceptum. In priori ſpecie filius in Feudo non ſuccedit. *II.F.*29. In poſteriori ſuccedit. *II. F.*26.

F. 26. Nam, quia *ex uſu* invaluit; ſtricte illud pactum interpretari oportet; nec extendendum ad feudalem ſucceſſionem, quæ non tam a parente, quam a primo adquirente defertur. Quod vero in dicto textu *II. F*. 29. dicatur, ex ejuſmodi matrimonio ſatos, aliis non exiſtentibus liberis, in proprietate, ſive allodio quidem ſuccedere, non in Feudo, hæc reddi ratio poteſt; quod cum agnati in feudis non ſuccedant ultimo defuncto, ſed proprio jure primo adquirenti, nequeunt in eorum præjudicium admitti, qui ſemel a numero deſcendentium excluſi fuere, quique in allodialibus, ob præſumptam patris voluntatem, præ collateralibus admittuntur. de Afflictis *in d. text. num*. 7. At qui intelligendus textus *II. F*. 26. §. *mulier*, ubi dicitur, filios prioris matrimonii eſſe propiores? Nimirum, vel ita obtinuit apud Langobardos, vel pro *prioris* cum Cujacio legendum *poſterioris*: & intelligendus de ſpecie, qua mater Feudum contemplatione ſecundi matrimonii adquiſivit, juxta textum *II. F*. 103. V. Struvium. *d. loco*.

C A P. V.

DE MINORIBUS, ET BALIATU.

§. 60. *Ætas minor* .

SEquuntur homines ſui , nimirum pupilli, minores, & alii, qui nec domino, nec patri ſubſunt. Principio a Romanæ Juriſprudentiæ regulis Langobardicæ diſtant, uti in patria poteſtate (§.58), ita in minore hominis ætate conſtituenda . Diſcriminis rationem ex diverſitate regiminis repetunt Juris Publici doctiores. Monteſqu. *Eſprit des Loix V.* 7.; adeo ut in populari minor ætas latiori temporis ſpatio concludatur; eamque ad annum 25. apud Romanos Lex quinavicenaria produxit: in regimine monarchico anguſtiori tempore definiatur. Burgundiones intra 15. annum minorem concluſerunt ætatem. Langobardi, utpote gens bellatrix , & ingenioſis Italis corporis robore præſtans, tam mares, quam feminas, expleto 18. anno legitimæ perfectæque ætatis fore conſtituerunt; uti ex Luitprandi legibus *Lib. II. LL. Langob. tit.* 29. Ætas vero legitima ad

ad nubendum, uti & antea Romano Jure cautum erat *L.* 4. *ff. de Rit. N. L.* 24. *C. de Nupt.*, in maſculo 14 annorum; 12. in femina, ex Luitprandi Conſtitutione *tit.* 8. *L.* 9., & Rotharis *Lib. II. tit.* 1. *L.* 10. Ad conſentiendum ætas eſt 12. annorum ex lege Rotharis *Lib. II. tit.* 14. *L.* 3. Ita ſi filius alienare vellet, annus 18. expletus requirebatur; ſin patri alienanti conſentire, ſatis erat annus 12. Sane conſentire quis in id poteſt, quod principaliter agere nequit. *L.* 37. §. 1. *ff. ad Trebell. L.* 2. *&* 22. *ff. de manumiſſ. vindict.* Quod autem minoris ætatis terminum annum 18. conſtituerit Luitprandus, hunc ſequutus videtur Fridericus II, cum idipſum ſanxit *in Conſt. minorum jura. II.* 42., *&* *Conſt. in aliquibus III.* 26. Igitur non primum id conſtituit; verum antiquis moribus jus receptum declaravit Fridericus. Tempus vero in hac cauſa, non ſecus ac ex Romano Jure, a momento ad momentum ſpectatur. *L.* 3. *ff. de minor.* Cetera Jus Romanum, quo delectabatur, Fridericus ſequutus eſt. Atque ideo confirmaſſe differentiam inter pupillos, & minores; tutores, & curatores, quam Langobardi reſpuere, videtur ex eadem Conſtitu-

M 4 tione

tione *minorum jura*. Illud de ſolis pupillis peculiare in ea cautum eſt; ut criminales, publicaſque cauſas ii per tutores, curatoresve ad lites, poſſent tractare; quod permiſſum non eſt minoribus. Quapropter immutatum haud eſt, quod Jus Romanum ſanxit ', pupillis ſemper tutoris auctoritatem neceſſariam; minoribus curatoris conſenſu in Judiciis prorſus opus eſſe; extra judicium invitis curatorem non dari. Et quoniam minoribus ex eadem Conſtitutione neceſſitas impoſita, ut in judiciis regantur a Curatoribus, videtur iis permiſſa rerum adminiſtratio, ſi malint, ac recte adminiſtrent. Videtur etiam ſervandum commune Jus circa triplex tutelæ genus, curationiſque duplex. Perperam itaque vulgo putant, non eſſe apud nos pupillorum, minorumque; tutorum, curatorumque diſcrimen; minoribus invitis curatores eſſe obtrudendos; & vel ipſos tutores teſtamento rite datos, eſſe a magiſtratu confirmandos; quia ita Langobardicæ leges ſanxere; ex quibus nil intererat inter pupillos, ac minores; eorumque tutelam ad ipſum Principem pertinere placuit. Revera invitis apud nos adoleſcentibus, qui optime ſuis rebus præſunt, dandos non

eſſe

eſſe extra judicium curatores, bene Doctores noſtri tradidere; Gratianus *Diſcept. For. c.* 282. Urſillus *ad Afflict. dec.* 236.: etiamſi filio a patre ſupremis tabulis curator datus fuerit. de Marinis *Reſol. I.* 289. Proinde cum curator adoleſcentibus decernendus eſt, ii, quem velint, petent: quod etiam in curatore ad lites, qui ceteroqui datur invitis, Jure Romano cautum legitur *L.* 1. *C. qui petant. tutor.* Afflict. *deciſ.* 256. Alexander *Lib. I. conſ.* 122.

§. *61. In integrum reſtitutio minoribus competit.*

In laudata Conſtitutione *minorum jura* confirmat quoque Fridericus, quæ de in integrum reſtitutione Romana ſanxit Juriſprudentia. V. Donellum *Comm. XXI.* 9. Hinc poſſunt minores legitima pœna in delictis plecti. Sed Judicis religioni conceſſum eſt, mitiorem ſtatuere, ſi ex adjunctis id videatur. *L.* 37. §. 3. *ff. de judic. Pragm,* 1. *de minor.* Quod ſi minorum delictum non *ex animo* proceſſerit, hoc eſt verum delictum non fuerit, ſed quid ii neglexerint, unde pecuniarium obvenit damnum,

re-

reſtitutionis in integrum auxilio muniuntur: puta ſi intra ſtatum tempus minor efficere inventarium neglexerit; tempus ad deliberandum petitum elabi ſiverit; mater minor intra annum filiis pupillis tutorem non petierit; vel ſi pœna ex contractu deſcendat, uti ſi per tale tempus pecunia ſoluta non fuerit. *L.* 1. *&* 2. *C. ſi adverſ. delict.* Huc referenda ſpecies *L.* 38. *ff. de minor.* Peti autem in integrum reſtitutio poteſt non modo in ætate minori, ſed & cum quis læſus major factus eſt; dummodo intra quadriennium continuum ex *L. ult. C. de temp. in integr. reſt.*, computandum apud nos ex anno duodeviceſimo. In Regno ſeu burgenſes, ſeu feuda poſſidentes feminæ, cura liberantur, ex quo nubunt, *Pragm.* 2. *de minor.*, ſed reſpectu veterum curatorum, non viri ſui, cujus curationi ſubſunt (§. 63. *infra*): hinc quadriennium illud etiam ab anno duodeviceſimo currere arbitror. De reſtitutionis argumento Neapolitana extat Conſuetudo, quæ *pupillus* incipit, a Langobardico Jure deſcendens; & a Romano diſcrepans in eo, quod ſecundum hujus Juris regulas, minori integrum eſt, vel cum tutore, curatoreve agere, vel adverſus eum, qui ſecum con-

contraxit, in integrum reſtitutionem poſtulare. *L.* 5. *C. ſi tut. vel curat. interv.* Verum ea Conſuetudo enucleata eſt a nobis alibi.

§. 62. *Minores feudatarii Baliis ſubſunt.*

De minoribus feudatariis nihil peculiare in Jure Feudorum communi cautum eſt. Proinde docent Freccia *de ſubfeud. Lib.II.*; & Interpretes *in cap.* 1. §. *præterea ſi inter duos. de prohib. feud. alienat.*, poſſe ex eo Jure patrem impuberi filio dare ſupremo judicio tutorem, qui bona & allodialia, & feudalia adminiſtret: poſſe etiam unum tutorem ob allodium, alterum ob feudum concedere; *arg. L.* 15. *ff. de teſt. tut.* Sam. Stryk. *tom. VII. oper. Diſput.* 12. Hanc facultatem & matri vulgo concedunt; cum Feudali Juriſprudentia patria poteſtas vix inſpiciatur. De Curte *Reſ. Feud. c.* 3. 85. *n.* 93. Ludewig. *Lib. IV. Differ. Jur. Rom. Opuſc.* 4. *Differ.* 1. *Grot.* 1. *Manud.* 7. *n.* 14. Adhæc moribus quorumdam populorum, præſertim Germaniæ, mater poteſtatem habet in liberos, hisque tutorem dat. *Lex Wiſigoth. Lib.* 4. *tit.* 2. §. 13. *Lex Baiwar. tit.* 6. 7. & 14. *Lex Burgund. tit.*

*tit.*59. Præterea Interpretes docent, patre inteſtato mortuo, agnatos ad legitimam feudalium bonorum tutelam præ cognatis venire: deficientibus denique agnatis, ad dominum tutelam pertinere. Id autem non immerito: Feudatarius enim a domino directo pendet, ejuſque jurisdictioni, ac patrocinio ſubjacet. Joannes Faber *in* §. 1. *Inſt. de legit. patron. tut.* Camill. de Curt. *Reſol. Feud. cap.* 23. Profecto hæc legitima tutela procedit, ac regitur ſecundum jus ſuccedendi. Proinde ſi agatur de allodialibus, vel ſi cognatos ad ſucceſſionem feudalem invitet pactum, vel jus, uti in feudo femineo, & mere hereditario, hi pariter ad tutelam admittendi ob juris rationem; & locum habet Novella 118. *cap.* 4., ex qua tutela, non minus agnatis, quam cognatis defertur. V. Roſenthal. *cap.* 12. *concl.* 10. *num.* 29. Verum enimvero Nortmannorum moribus, teſte Coppino *de deman. Franc. Lib. III. tit.* 19. *num.* 91., quum impubes Feudi ſucceſſor eſſet, quia militiæ impar, aut dominus Feudum recipiebat, retinebatque, pupillo alimenta præſtans; aut alii feudum concedebat, qui eo uteretur frueretur, & alimenta etiam pupillo præberet.

His

Hic *Balius* dicebatur; ejuſque vocis a Græcis mutuatæ origo eſt a *bajulo*; qui ſequiori ævo puerorum erat cuſtos, & negotiorum adminiſtrator (§. 25. *pag.* 53.) Quum vero ad pubertatem ille perveniſſet, ad fidelitatem ideo jurandam, ſervitiaque exhibenda idoneus, ei Feudum reddebatur. Baliatus autem ad annum 21 apud Anglos perdurabat; apud nos ad pubertatem; cujus ætate jusjurandum fidelitatis præſtari poſſe, habetur ex *II. F.* 26. §.4. *fin.* & *tit.* 55. *princ.* Morem Nortannorum Fridericus II. firmavit. Prohibuit ſolummodo Baliis, præter alimenta, aliud quid capere; ſed rationibus redditis, omnia reſtituere cavit puberi feudatario. Quare pupillorum feudatariorum (eorum videlicet, qui feuda quaternata poſſident: nam qui plana, & de tabula habent, æque ac non feudatarii, tutoribus, curatoribuſque ſubjacent. Freccia *de ſubſ. Lib. II.* Afflict. *in Conſt. minoribus*) baliatum Principem recipere, ſanxit, vel ſibi retinendum, vel alii concedendum. *Conſt. in aliquibus. De ſucceſ. fil. com.* & *Bar.* Et alii concedi utplurimum ſolebat. Hinc inſuper voluit, baliatum poſt pubertatem finiri, Balioſque, contraria conſuetudine exploſa, reddere ratio-

tiones; deductis juſtis impenſis, reliqua reſtituere; ac in duplum teneri, ſi quid doloſe interceperint; ut nimirum, damnum reficiant, & Fiſco tantumdem inferant. *Conſt. minoribus. de J. Balii.* Sin Balius quis eſſe deſierit morte, aut aliquo legitimo modo, per eum geſta debere ſucceſſorem rata habere, tradit de Marinis *Reſol. I.* 3. Jam Fridericiano jure pubertas; qua baliatum deſinere diximus, & in maſculis, & in feminis, expleto anno 14 incipiebat. Quare cum ii 15 attigerint annum, perfectæ ætatis eſſe in contractibus, & judiciis, Interpretes tradidere. V. tamen Andream de Barulo, qui coævus Friderico fuit, & Marinum de Caramanico, qui ſub Carolo I. floruit, *in d. Conſt. minoribus*. Deinceps Pragmatica 2 *de minor.* cautum eſt, Feudatarios, nedum burgenſes, Baliorum curationi, & patrocinio ad annum 18. completum, ſubjectos eſſe. De venia ætatis alibi dictum eſt. Quapropter in Regno cum baliatus minime perimatur pubertate, ſed majorennitate, Balii funguntur tutorum ſimul, & curatorum officio. Fridericus idcirco novum, mixtumque tutelæ, curæve genus inſtituit, ac more majorum *ba-*

lia-

liatum vocavit. Et Balius tam perſonæ, quam rei datur: itaut res miniſtret, & feudiſticam jurisdictionem. Cautum etiam eſt Pragmatica 2. *de minor.*, ante 18. ætatis annum, feudatariæ mulieris nuptiis, baliatum expirare; exemplo aliarum mulierum, quæ feudis carent: non quia perfectæ ætatis illa evadat, ſed quia a viro Feudum adminiſtratur. Idcirco viro obeunte ante 18. mulieris annum, denuo ea Balio ſubmittenda. Grammaticus *dec.* 54. Præterea ex fructibus Feudi Jure noſtro alimenta Balio debentur. Hinc hodie ei ſalarium pro reditibus Feudalibus adſignatur. de Marinis *Alleg.*27. Qua in re Balius a tutore Juris Romani differt. Igitur Fridericiano jure, ſive pater pupilli naturaliter decedat, ſive civiliter, ſcilicet forojudicatione. *Conſt. ſi quando II.*7. *Capyc. in Inveſt. v. Feudatariorum Balii* (forojudicationis antiquam formulam refert P. de Vineis *Epiſt. Lib. V. c.* 107), Feudatariis Balius ab uno Rege dandus eſt. Inde id factum, tum quia ſub Langobardis tutela, & curatio jus majeſtatis cenſebatur; tum quia ipſi Regi dominium directum eſt in Feuda. Hinc Principatus intereſſe viſum, per optimum Ba-

Balium res pupillares geri; & Regem potiorem eſſe teſtamentario Balio. Contra Carolus II. Andegavenſis *cap. Feudatar. decedens teſtatus* 164. *de Balio conſtituen.*, Feudatario conceſſit, poſſe liberis ſuis teſtamenti tabulis Balium dare; eoque ab inteſtato, quoad hanc rem, vita functo, Balium eſſe a Rege dandum, qui accuratior, induſtriorque ex proximioribus defuncti videretur; omnibuſque matrem præferri; modo ad ſecunda vota non convolaverit. Videtur Carolus teſtamentarium Balium ſine Regis licentia permittere: id tamen non intelligendum de Balii adminiſtratione. Tapia *in d. Capit.* Proinde hodie a Camera S. Claræ confirmatur: & ſi inteſtatus obeat Feudatarius, idem ſupremum Tribunal Balium dat: qui deinceps ad Regiam Cameram Summariæ remittitur, ut adimpleat, quæ ſunt de jure; nimirum inventarium conficiat, & pro unius anni reditibus, ut fieri ſolet, ſatisdationem præſtet. Camill. de Curt. *Reſol. Feud. c. 3. §. 90.* Atque Balius tenetur omnia præſtare, quæ tutor præſtat: eaque luculenter continentur in formula ſatisdationis relata per Regentem de Marinis *Reſol. Iur. cap.* 157.: & quotannis cogi

cogi poteſt ad rationes reddendas; quæ praxis orta videtur ex *Clement.* 2. *de Relig. dom.* §. *ut autem.* Maradei *Sing.* 232. Roſa *Conſult.* 23. *num.* 47. Denique ſuſpicionis cauſæ, quæ arcent ab eorum exercitio tutores, Balios quoque removent. Conficitur ex dictis, Balios per omnia fere exæquatos eſſe apud nos tutoribus ſimul, & curatoribus; ſi excipias ſalarium, quod illi recte petunt, & fidejuſſionem *rem pupilli ſalvam fore*, quam præſtare omnino debent, etiamſi paterno judicio in teſtamento probati fuerint. Denique adnotandum eſt, quod ſi Nobilis vir temporum vitia, ac labem ſequatur, praviſque moribus, quos egregie pinxit Pontanus *Dial. Antonius*, rem familiarem abliguriat, diſſipet, perdat; ad ſimilitudinem curæ prodigorum, munus, quod *ſopraintendenza* vulgo vocant, uni e magiſtratu demandatur, qui curam auctoritate augeat, omniaque judicet ad eam rem pertinentia.

§. 63. *Et mulieres olim Mundualdis ſuberant.*

Homines tandem perfectæ ætatis vel mares ſunt, vel feminæ. De feminis pro-

 pter

pter ſexus infirmitatem peculiaria quædam legibus ſtatuta legimus. Vetitæ ideo ſunt pro aliis intercedere, aut mutuum accipere, *Pragm.* 2. *de S. C. Macedon.*, & *Vellej*; qua ſenatusconſultum Vellejanum recentatum eſt: tum credita pecunia emere aurum, argentum, veſtes, aliaque hujusmodi, ſi eæ patris, maritive curæ ſubſint. *Pragm.* 3. *eod.* (§. 57. *pag.* 169.). Romanis legibus, ſi interceſſionem excipias, in ceteris mulieres perfectæ ætatis in judicio experiri, ac libere contrahere poſſunt: verum, non ſecus ac Jure Attico ſtatutum fuiſſe, Meurſius *Them. Attic. c.* 9., & veteri Romano, Otto *Diſſ. de perp. fem. tut.* §. 7. probatum dedere: Langobardis eas ſub perpetua tutela permanere placuit; atque hanc tutelam *mundium*, tutoreſque *mundualdos* appellarunt: *LL. Langob. Lib. II. tit.* 10. *L.* 1. V. Murator. *Diſſ.* 20. *med. ævi*; quod in multis Regni noſtri locis obtinuit. *Conſt. obſcuritatem*; & *Ritu M. C.* 292. *tit. de curat.* & *mundual.* Quin imo diutius mundualdorum uſus ſtetit, præſertim in Feudis, quæ Langobardorum jure regebantur. Et hodie veſtigium hujus rei videre eſt in Principis diſpenſatione, quæ petitur a mu-

mulieribus, ſi quid etiam extradotale alienent. Rex enim quaſi mundualdi vices gerit. *V. LL. Langob. d. loco*; ubi Rotharis majorum conſuetudinem ita ſcripto firmavit: *Ut nulli mulieri ſub Regni ſui ditione, lege Langobardorum viventi liceret, in ſuo libertatis arbitrio, ideſt ſine mundio vivere; niſi ſemper ſub poteſtate viri, aut poteſtate* CURTIS REGIÆ *deberet permanere: nec aliquid de rebus mobilibus, aut immobilibus ſine voluntate ipſius, in cujus mundio foret, haberet poteſtatem donandi, aut alienandi*. Quum vero in Regno Romanum Jus reviguit, in multis cum Langobardico confundi cœpit. Proinde adverſus Jus Romanum noviſſimum *L. 2. C. qui dar. tut. vel curat. poſſ.*, patrio Jure *Pragm. 2. de minor.*, uxor ætate minor, poſt nuptias ſtatim ab extranei curatione liberatur, & curationi ſubeſt viri; non perpetuo, uti apud Langobardos, ſed ad majorem uſque ætatem: adeo quidem, ut maritæ mulieres ætate majores de paraphernis, etiam diſſentiente viro, libere ſtatuant: De Marinis *Reſol. Jur. II.* 237. (id autem cautius fiet, Regis confirmatione accedente); nec maritus ſe, uxore diſſentiente, in parapher-

nis immiſcere poſſit. *L.*8. *C. de pact. convent.* Quod mirum videtur: cum in Europa paſſim vir ſit uxoris curator. Gudelinus *de J. Noviſ. l.* 7. Hinc nullum fit uxori præjudicium, ſi extradotale debitum, ſine ejus mandato, vir exegerit. *L.* 11. *C. de ſolut.* Denique ex eadem Juris Langobardici, ac Romani confuſione ſequitur, quod Rogerius in Conſtitutione *mulieribus. de reſt. in integr.*, ſumpto exemplo a minoribus ex Romano Jure, ſuccurendum cavit mulieribus Langobardorum Jure viventibus. Et Fridericus II. in Conſtitutione *obſcuritatem. de in integr. reſt. mulier.* plenius ſanxit, mulieres viventes jure Langobardorum, vel Francorum (quo nomine & eas complecti, quæ Jure Romano regebantur, tradit Andreas de Barulo *in d. Conſt.*), in judiciis tantum reſtituendas eſſe, cum per fraudem, aut negligentiam Procuratorum, aut Mundualdorum læſæ fuerint. Hos enim ſimplicitas excuſat; detrimento tamen mulieribus eſſe non debet. Id autem ex Ritibus M. C. intelligendum de reſtitutione adverſus omiſſas probationes, non adverſus ſententiam, ceteroſque judiciarios actus. *Urſillus ad Afflict. deciſ.* 356. *de*

Fran-

Franchis deciſ. 284., quæ recta profertur in judicio, non vero in procuratores, ne lites litibus ſerantur; quæque viduis tantum, aut virginibus patria poteſtate ſolutis competit. Nam mulieres, quæ a patre, vel marito reguntur, in integrum reſtitutione juvari, neceſſe non eſt. Cavit præterea ibidem Fridericus, mulieres in contractibus reſtituendas non eſſe, niſi per adverſariorum circumventionem, aut ipſarum imbecillitatem, immodicam dotem ultra patrimonii vires promiſerint: & jura omnia, quæ mulierum favore ſancita erant, ſarcta tecta ſervari voluit: hinc eis minime nocere, *ſi per errorem, non pretio accepto, ab accuſatione deſiſtant; ſi inceſtus crimen per ignorantiam Juris committant; vel ſi inſtrumenta edenda non edant* per ignorantiam; & ſi ſolvant ex interceſſione, neſcientes Vellejani beneficium: quæ omnia adeo Romanorum legibus conſonant, ut ab his deſumpta videantur.

INSTITUTIONUM

JURIS FEUDALIS

PARS ALTERA

DE REBUS.

§. 64. *Ordinis ratio*.

UBeriorem, utilioremque aggredior Juris Feudalis partem, quæ circa res verſatur. Atque opportunum fore reor, primum heic de rebus in Feudum dandis ediſſerere; tum de modis illud conſtituendi, adquirendi, amittendique; tandem de jure Domini, Vaſallique in Feudo, necnon de oneribus Feudalibus pro inſtituti ratione pertractare.

C A P. I.

DE REBUS, IN QUIBUS FEUDUM CONSTITUITUR; ET SPECIATIM DE REGALIBUS.

§. 65. *Feudum, & ſubfeudum nonniſi in re, quæ alienari poteſt, conſtituitur.*

QUoniam datio in feudum ſpecies eſt alienationis (§. 33.), res, in qua conſtituitur, ea eſſe debet, quæ alienari poteſt. *II. F.* 3. §. *ſed etiam*. Quod ſi res alienari quidem poſſit, ſed certis requiſitis concurrentibus; tunc eadem requiſita, quæ ad alienationem, ad infeudationem erunt neceſſaria. Igitur Feudum conſtituere nequaquam poſſumus in rebus ſacris, aliiſve commercio exemptis, vel alienari prohibitis, quamdiu ſunt in ea conditione. Si vero Civitas, in qua ſunt res ſacræ, in feudum detur, tranſeunt & illæ; non ut earum utile dominium Vaſallus nanciſcatur, ſed ut in illa Civitate maneant. *L.* 22., *& ſeq. de contrab. emt. L. 62. de adquir. rer. dom.* Locum religioſum hodie non facit ſola mortui

tui illatio: & muri, ac portæ ad res univerſitatis ut plurimum pertinent. Differunt autem a rebus ſacris Eccleſiaſticæ, quæ utilitate ſuadente, & certarum ſollemnitatum interventu, uti alio modo alienari, ita etiam in Feudum de novo dari poſſunt: ac ſi fuerint infeudari ſolitæ, ſine ſollemnibus, rurſus in Feudum recte conceduntur. Excipe titulos, ſecundum ea, quæ ſupra diſputavimus (§. 35.). Porro res alienari prohibitæ, quæ ſi in ſe conſiderentur, in commercio eſſe poſſunt, ita dicuntur vel ob naturam Juris in re conſtituti, ut puta res immobilis inæſtimato in dotem data, vel ob voluntatem contrahentium, aut teſtatoris. Feudi etiam prohibita alienatio *II. F.* 55. *de prohib. Feud. alienat.*; ſed id non obſtat, quo minus ſubfeudum Vaſallus conſtituat. *II. F.* 34. §. 1. 2. Nam ſubfeudum conſtituens retinet Feudum: neque omnis alienatio Feudi vetita eſt, ſed, quæ fit ſine conſenſu domini, & agnatorum; qui conſenſus de Jure communi in ſubfeudi conſtitutione non exigitur; nec domino, nec agnatis præjudicium fit per ſubinfeudationem. Nam ſubinfeudans manet Vaſallus. In Regno autem non omnes Feudatarii poſ-

poſſunt concedere ſubfeuda; ſed ii tantum, qui hanc facultatem in Inveſtitura habuere. Porro ei, qui ſubfeudum conceſſit, eſſe dominium directum, non minus ac Regi, & ſubfeudatario tantum utile; multi affirmant, negant multi apud Marinum Freccia *de Subfeud. Lib.II.* Vero ſimilius eſt, ſubfeudatarium idem jus in Feudo habere, ac ipſe Feudatarius habuit: proprietas enim ſemper remanet penes dominum a quo primo Feudum profectum eſt; & penes ſubinfeudantem quædam reſidet auctoritas, cujus vi ſine ejus conſenſu nequit ſubfeudatarius alienare. At Regni noſtri Jure receptum eſt, quod ſi feudum ſit planum, & de tabula, in ejus alienatione ſufficiat aſſenſus ſolius Feudatarii: ſin quaternatum, Regis aſſenſus accedat: tum ubi ſucceditur, relevium non Regi, ſed Baroni ſubinfeudanti ſolvatur: fidelitatis jusjurandum dominus exigat, cum Regis tamen conſenſu (§. 38.): ſit denique dominus, tamquam ordinarius judex in Feudo a ſe conceſſo: modo id ſpecialiter Rex fuerit elargitus. Inſuper conſtitui Feudum nequit in rebus alienis, qua tales ſunt; niſi alienarum rerum adeo plenam adminiſtrationem quis habeat,

beat, ut alienare poſſit; quemadmodum ſuperius dictum eſt de rebus minorum, atque Eccleſiarum (§. 33. & 35.). Profecto cum Feudi conceſſio ſit alienatio, ad ejus validitatem requiritur, ut ſaltem ex mente contrahentium res ſit propria concedentis. *II. F.3. pr.* & §. 1. *L.* 1. & *ſeqq. C. de reb. alien. non alien. L.* 80. §. *fin. de contrab. emt.* Et quidem vel vere propria, vel (quod ſingulare eſt in emtione venditione, & Feudo; non vero admittitur in aliis contractibus, quibus alienatur. *L.* 1. §. 3. *de rer. permut. L.* 25. §. 1. *de contrab. emt.*), licet res ſit aliena, ita detur, ut perinde eam habere liceat, ac ſi a vero domino quis accepiſſet. Tunc enim obligatio ad evictionem ſupplet illum defectum. *L.* 11. §.2. *de act.emt. L.*80. §.2.*de contrab. emt.* junct. *II. F.* 8. & 25. At nonnulli aſſerunt, in Jure Feudali peculiariter diſpoſitum, re evicta, vel aliud Feudum præſtandum eſſe ejusdem æſtimationis, cujus erat tempore rei judicatæ, vel pretium Feudi evicti numerandum. *d. loco* (§.20.): in emtione venditione vero non ſolum pretium, ſed intereſſe præſtandum eſt, *L.* 9. 17. 25. *C. de evict.*, nec admittitur, ut alia res tradatur. Videri igitur poſſet,
evi-

evictionem Feudi plane non eſſe præſtandam: præcipue, quia Feudum eſt beneficium, ac donatio, *II. F.* 23.: rei autem donatæ evictione non teneri donatorem, in perſpicuis eſt. *L.* 2. *C. de evict. L.* 18. §. *ult. de donat. Paulus Sent. Lib. V. tit.* 11. §. *invitus*. Verum hæc omnia ſuſque deque habeo. Nam Feudum quandoque & pecunia interveniente datur (§. 33.); & licet gratuito concedatur, non eſt beneficium abſolute ita dictum, ſed ſecundum quid, ut ſcholæ loqui amant; nec per nudam donationem conſtituitur, ſed per contractum Feudalem, qui ſingularis eſt, & διπλευρος. Et quemadmodum Vaſallus ad fidem, ac ſervitia obligatur; ita dominus ad utile rei dominium transferendum; atque ideo ad evictionem præſtandam. Quod autem diſpoſitum eſſe in Jure Feudali, mox diximus, eo deſcribitur ejus, quod intereſt, præſtatio; quæ illo modo ſecundum Feudi naturam optime fieri poteſt; ut nimirum domini, ac Vaſalli jura integra manerent. Si autem ſimpliciter intereſſe præſtaretur, ea prorſus evaneſcerent. V. Struvium *Syntagm. J. Feud. cap.* 6. *aphor.* 9. *n.* 3. Ceterum ut dominus ad evictionem adigeretur, pe-

rinde

rinde ac in emtione, neceſſe eſt, ut ei litem Vaſallus denunciaverit. *II. F.* 25. Ad eam vero non tenetur, ſi Vaſallus ſciverit, rem eſſe alienam, vel alii obligatam; niſi tamen pacto ſpeciali ſibi proſpexerit. *II. F.* 8. *L.* 27. *C. de evict.*; & ſi evictionis præſtationem Vaſallus ipſe remiſerit. *L.* 11. §. *fin. de act. emt.*

§. 66. *Modo ſit certa:*

Deinde oportet rem certam deſignari. *c. extraord. Beneficium intelligitur.* Neque error nominis, ſi conſtet de corpore, nocere poteſt; *arg. L. idem Pomponius.* §. *cum in rem ff. de reivindic.*

§. 67. *Et res ſoli, vel ſolo cohærens, aut quæ inter immobiles numeretur.*

Inſuper, ut ſit res ſoli, vel ſolo cohærens, vel quæ inter immobiles recenſeatur, neceſſe eſt. *II. F.* 1. §. *ult.* (§. 3. *pag.* 4.): in rebus enim mobilibus Feudum minime conſtituitur. Num, quia uſu conſumuntur? Ita vulgo tradunt. Mihi id non ſufficit, cum non omnes res mobiles uſu conſumantur; cumque cautione

de

de re, ejuſve æſtimatione reſtituenda, conſtitui in iis Feudum poſſit, uſusfructus exemplo, §. *conſtituitur autem. J. de uſufructu*; quæ ratio tanti fuit apud Matthæum de Afflictis, ut ejusmodi ſatisdationis remedio conſtitui in iis Feudum poſſe putarit, *II. F.* 1. §. *ult.*: idque aperte negant Cujacius *Feud. Lib. I. tit.* 1., & Zaſius *Epit. Feud. part.* 4. *n.* 21. Ea enim quaſi uſusfructus regula minime in re Feudali recepta eſt. Num, quia hominum uſus Feuda in immobilibus admiſit? Ita mihi videtur. Feudorum ſane vis, atque probatio tota ex moribus eſt, *II. F.* 1. *princ.* Nec deeſt moris hujus occaſio. Domini enim ad fidelitatem, obſequiumque perpetuum Vaſallos ſibi obligare cupientes, ſi obligationis cauſam in mobilibus conſtituiſſent, Vaſalli ipſi fidem fallere nullo negotio poterant. Interim ſi res mobilis ſub fidei onere daretur, eſſet; uti ait Duaren. *de J. Feud. c.* 5., utilis contractus, ſed proprium nomen non habens: Jam vero ſolo cohærere dicuntur caſtra, aliaque ædificia, plantæ, fructus pendentes, torcularia, & alia fundo juncta, & fixa: ita granaria, quæ ex tabulis fieri ſolent, ſi eorum ſtipites in terram de-

defoſſi ſint, *L.*18. *de act. emt.*: ita & molendina, arundineta, ſalicta, antequam cæſa ſint: tum annui reditus, ſeu cenſus ex domibus, aliisve rebus ſoli præſtandi, *Clement. exivi de V. S.* Recenſentur autem inter immobilia, tormenta arcium bellica, & alia in re ſoli, eive adhærente poſita, ut ibi perpetuo ſint, ſive ad perpetuum ejus uſum deſtinata, quamvis natura ſua loco moveri poſſint; *arg. L. Julianus.* §. *ult.* & *L. Fundi ff. de action. emt.* Generatim res mobiles, & incorporales, ſive accedant rei immobili, ſive aliquo modo eam reſpiciant, pro immobilibus habentur. Vultejus *Lib. I. de Feud. cap.* 5. *n.* 1. Sit enim res immobilis, an mobilis, non ex natura, ſed Jure æſtimandum eſt. Præterea acceſſiones, & inſtrumenta Feudorum etiam immobilium jure cenſentur. *c. acceſſorium. de R. J. in 6.* Hinc piſces, qui ſunt in ſtagnis, ut ibi multiplicentur, cum propter corporum ejusdem ſpeciei ſubrogationem unum quid, & perpetuum conſtituere videantur, pro immobilibus habendi ſunt. Guido Papa *deciſ.* 91. Idipſum aſſeverare poſſumus de animalibus in paſcuis, & ſaltibus; modo ibi ſint propagationis, &

dura-

durabilis cujusdam uſus gratia, non tantum cuſtodiæ, vel ad modicum tempus. Gudelinus *de J. Feud. parte. 2. cap. 3. n. 6.* Adhæc res incorporales habentur pariter ceu immobiles; adeout in iis Feudum non ſolum per modum acceſſionis, verum principaliter, & ſeorſim conſtitui queat. Huc referenda jura venandi, piſcandi, metalla effodiendi, vectigalia ſubditis imperandi, & alia. De Afflictis *d. loco, II.F.1.* §.*ult.* Hannetonius *de J.Feud. c.4.* Igitur jura, etiam ſolitarie, in Feudum dari poſſunt, uti jus venandi, jurisdictio, & alia. Hinc uni pagus, alii jurisdictio concedi poteſt. Jurisdictio itaque inter immobilia a Doctoribus recenſetur; & ſi ex conſuetudine ſit ſolita concedi, præſertim in caſtris, ubi neceſſario exercenda eſt, eam conceſſam præſumi noſtri Pragmatici aſſerunt. Sed id in Regno non obſervatur: ſpecialiter enim concedenda eſt. (§.51.) Re quidem vera majora, & nobiliſſima Feuda potius in jurisdictione, & auctoritate, aliiſque juribus erga ſubditos, quam in fundis, certisve aliis corporalibus rebus conſiſtere videmus. Ceterum res incorporales proprie nec mobiles ſunt, nec immobiles: cum vero ſolummodo mobilium, immobiliumque men-

mentio in Jure fiat, immobilibus connumerari ſolent. *L.* 2. *C. de ſervit.*, *&* *aqua*. *L. ult.* §. *ult. C. de præſcript. longi temp.*: modo durationem quamdam habeant; uti ex. gr. Feuda de Camera, de Cavena, & Soldatæ, quæ conſiſtunt in in penſionibus præſtandis ex Domini ærario, ſeu menſa vectigali, ex penuario, vel ex nullo certo loco; licet Soldatæ penſio morte finiatur (§. 22. *pag.* 36.); non eſt tamen debitum ſemel, aut paucis vicibus alicui perſolvendum. Quæ autem diximus, diſtincte exponit Vultejus; atque explicat §. *ſciendum cap.* 1. *de Feud. cognit.* hoc modo, nimirum quaſdam res ejus naturæ eſſe, ut in Feudum dari poſſint per ſe, atque etiam una cum aliis; quaſdam nonniſi cum aliis, per ſe nunquam. Poſterioris hujus generis res, quarum Obertus non meminit; ſunt mobiles. Prioris ſunt res immobiles ſoli, ſolo cohærentes, & quæ inter immobilia connumerantur. Quin imo rebus immobilibus ſoli in Feudum datis, datæ intelliguntur res iis cohærentes, ex. gr. fructus qualeſcumque, arbores, ædificia; tum omnia jura, ex. gr. ſervitutes fundo debitæ, venationes, & piſcationes, ſi in ſilvis, vel aquis feræ, & piſces ſint

O per-

perpetuitatis cauſa, ut dictum eſt; inſuper, quæ perpetui uſus cauſa ibi ſunt, ideſt, rei ſoli inſervientia, utpote, quæ ad ipſius inſtructionem faciunt; ex. gr. equi, boves, oves, & ſimilia animalia, quæ ad laborandum, atque infimandum fundum neceſſaria ſunt. Adhæc pertinentiæ fundi non minus conceſſæ intelliguntur, ac fundus ipſe; & tam proximæ, ſine quibus res principalis ſtare vix poteſt, uti caſtri munitiones, tormenta, arma bellica; quam remotæ, nimirum ſine quibus res principalis ſtare poteſt, uti molendina, nemora, vectigalia, cenſus, annui reditus (non tantum perpetui, ſed etiam conſtituti ſub pacto redimendi), metalla, quæ jam ſunt, vel reperientur in poſterum; modo ad regalia non pertineant. Obſervandum hic, univerſitatem rerum in Feudum dari poſſe, veluti territorium; & alia caſtrum; & acceſſoria tranſire, niſi fuerint excepta. Data ſilva, & arbores conceſſæ intelliguntur. An cum ſilva jus venandi tranſit? Negat Struvius *cap.*VI. *th.* II. *n.*3. Sed quia uſufructuario illud competit, *L.*9. §. 5. *ff. de uſufructu*. *L.*62. *ff. eod.*, & jus pinguius habet Vaſallus, quam uſufructuarius; venationem quoque ei compete-

petere verius videtur, niſi vel alteri conceſſa jam fuerit, vel Regionis conſuetudo majores feras excipiat. Anton. *Diſp.III. th.* 4. *litt. G.* Res quoque communis in Feudum dari poterit: neque obſtat communio: cum, qui rem ita accepit, communi dividundo judicio agere queat, ſociumque cogere ad diviſionem. *II. F.*58. §. *ult.* Vendi quoque res communis poteſt, *L.* 3. *C. de comm. rer. alien.* donari, *L.* 12. *C. de donat.*, & in dotem dari *L.6. C. de J. dot.*; nimirum pro illa parte, quam quis in re communi habet. Ut autem rem, qua de agimus, paucis expediam, generatim ſtatui poteſt, omne jus, quod utilitatem ſingularem præſtat, atque ex conceſſione ſuperioris dependet, in Feudum dari poſſe. In dubio, rem potius allodialem, & liberam, quam Feudalem, & quaſi ſervilem intelligi, ſaniores Interpretes putant. Julius Clarus §. *Feudum quæſt.* 18. Gayl. *Obſ. II.69.* Hubertus Giphanius *Antinomiæ Juris Feudalis Diſp.III. n.* 55. Nam & alias Feudorum natura ab aliis bonis eſt ſeparata. Atque appellatione hereditatis non veniunt feudalia. *cap. unic. de ſucceſſ. Feud. cap. unic. an agnatus, vel filius.* (§. 29. *pag.* 74.)

O 2 §. 68.

§. 68. *Regalium emolumenta quoque poſſunt in Feudum concedi.*

Quemadmodum de jurisdictione, aliiſque juribus rei immobili adnexis mox di. ctum eſt, Regalia quoque poſſunt in Feudum concedi, ſi ſpecialiter exprimantur. Zaſius *de Feud. par.* 5. Modo videamus, quænam inter Principis regalia accenſeantur, & quî concedi queant. Primum ea ſunt ſummæ Poteſtatis jura ad tuendam Reipublicæ ſalutem, ac dignitatem, quæ competunt in quacumque regiminis forma ei, quem penes ſumma poteſtas eſt, ut Civitas ſtare gradu ſuo poſſit. Lyncker. *ad Huber. de J. Civit. l.* 18. Sixtin. *de Regal. l.* 1. Quapropter non ſoli competunt Imperatori, ſicuti vulgo Feudiſtæ; quod ex Jure Romano hauſerunt. Si vero in privatos transferantur regalia, hoc non de eorum proprietate accipiendum, ſed de emolumento, quod præbent. Ziegler. *de J. Majeſt. l.* 3. §. 20.: atque in manu poſſeſſoris naturam amplius regalium non habent; ſed jurium, quæ ad privatos ſpectant. Jus enim regale a Regis perſona avelli minime poteſt; & ab emolu-

lumento, quod præbet, diſtinguitur. Juriſconſultorum exemplum videre eſt in uſufructu, qui vendi nequit, & diſtinguitur a fructibus, eorumque percipiendorum commoditate, quæ vendi, & locari poteſt, *L.* 12. *&* 38. *de uſufr.* Regalia igitur in alios non transferuntur; ſed tantum eorum commoda. Hinc jus exigendi jam conſtituti vectigalis concedi, aut præſcribi poteſt; non vero jus illud conſtituendi, vel augendi. Sane peccant in legem Juliam de vi publica, qui nova exercent vectigalia, *L. ult. ff. ad l. Jul. de vi publ.* Diverſa igitur ratione unum idemque regale conſiderari poteſt, tamquam majus, & minus. Et quamvis regalia majora ſint jura majeſtatis; majeſtas vero diviſionem non recipiat, nec jura ab ea ſeparari poſſint: diſtinguendum tamen inter ipſum jus, & exercitium juris. Hoc alteri concedi poteſt, ut eodem utatur dependenter; illud penes Principem remanet. Jam vero ad vulgarem Regalium diviſionem ſponte ſua fluxit oratio. Dividuntur ab Interpretibus in majora, & minora. Illa regimen reſpiciunt, & ipſum Reipublicæ ſtatum; ut puta jus magiſtratus conſtituendi, belli indicendi, ac le-

ges ferendi; qui tres fontes Jurium Majeſtatis omnium nonnullis videntur. Ceterum nec omnia ex hiſce tribus capitibus fluunt, & pleraque alia majora regalia a Doctoribus recenſentur; uti jus collegia & corpora admittendi; eminens in res privatorum dominium; jus conferendi dignitates, Doctores creandi, nundinas ſollemnes inſtituendi; ſacra tutari; poteſtas circa monetam; jus ſcholas publicas, quas Academias, vel Univerſitates vocant, erigendi, confirmandi, ac privilegiis muniendi; jus veniam ætatis concedendi; naturales legitimandi, & alia ſexcenta, quæ honorem potius perſonæ reſpiciunt, quam Fiſci utilitatem; quæque a Politicis diſcenda ſunt. V. Zieglerum, Arniſæum, Sixtinum, alioſq. Atque Regalia iſthæc dicuntur *perſonalia*, quia perſonæ Principis neceſſario adhærent, nullaque ex parte a privatis præſcribi poſſunt; eaque, etſi Princeps conceſſerit, in privatos non tranſeunt; videlicet cum omnino ſe Princeps iis abdicet: nudum enim exercitium in alios recte transfertur. Minora autem ſunt commoda, quæ ſummæ poteſtatis ratione percipiuntur; quæ & jura Fiſci dicuntur, & cum aliis com-

mu-

municari poſſunt; ut puta jus auferendi hereditates, aut legata indignis, jus publicandi bona damnatorum, jus occupandi res derelictas, bona vacantia, jus piſcandi, venandi, jus indicendi vectigalia, angarias, & parangarias, cetera. Atque hæc a privatis multipliciter adquiri poſſunt, ſalva Principis majeſtate. Et quidem vel expreſſo conſenſu, vel tacito Regis, ad cujus dominium pertinent. Expreſſe concedere poteſt ea Princeps vel in allodium, uti vulgo Doctores putant, vel in Feudum. Jurisdictio, exempli gratia, ſi in allodium conceſſa fuerit, Regi reſervata cenſetur facultas major poteſtate conceſſionarii, etſi clauſula conceſſioni appingatur, *nihil nobis reſervantes*. Nam Rex ea poteſtate ſe abdicare nequit. Peregrin. *de J. Fiſci l.* 3. *n.* 75.: Atque hujuſcemodi alienationes *cumulative* fieri dicuntur; ſed de hoc articulo mox videbimus. Si vero conceſſa fuerit in Feudum, *privative* ad Baronem pertinet, qui in ea re procurator Regis cenſetur. Roſenthal. *de Feud. c.* 5. *n.* 53. Sed & in hac ſpecie provocatio ad Principem admittenda. Covarruv. *pract. quæſt. c.* 4. Tacito autem Regis conſenſu Regalia adquiruntur

præſcriptione, *ex L.*28.*ff. de V.S.*; & centenaria adverſus Fiſcum, ſi titulus vitioſus non fuerit, ex Conſtitutione *quadragenalem. de prorogat. præſcript.*, & Gratia Caroli VI. Neapolitanis conceſſa *an.*1720. Verum mox huc revertar. Præſcriptio vero adverſus privatos vulgo admittitur decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes. Certo autem numero regalia determinari nequeunt, cum vel exoleſcere, vel invaleſcere queant. Non omnia igitur exhibent Juris Feudalis compoſitores in *II. F.*56. *quæ ſint regal.*, ſed ea tantum quæ a Mediolanenſibus uſurpata ob Imperatorum abſentiam, ſibi reſtitui urgebat Fridericus Ænobarbus. Sigonius *de Regn. Ital. Lib. XII.* Montan. *de Regal. prælud.*; ſive locus ille Feudalium Conſuetudinum ſit Friderici Conſtitutio, uti vulgo Interpretes, ſive pacta conventa Fridericum inter, & Mediolanenſes, uti Dumontius, & Goldaſtus ſcripſere. Certe tamen plura regalia in laudato textu ſunt, quam in pactis illis conventis. Quoniam vero Regalia pleraque in laudato Conſuetudinum Feudalium loco recenſentur, operæ pretium duco, ea hic ſingulatim in medium proferre, iisdem textus verbis.

Re-

Regaliæ I. *Armandiæ*, ſeu legere mavis, *Armanniæ*, quas non eodem modo explicant Feudiſtæ. Alii enim interpretantur fabricas, & publica armamentaria, ſeu loca, in quibus reponebantur arma. *V. Novell.* 85. *&* *L.* 1. *C. ut armorum uſus*; ſeu jus percipiendi certum vectigal ob licentiam armorum faciendorum conceſſam *tit. C. de fabricens.* Alii eſſe dicunt Apparitores. Nonnulli putant, fuiſſe Italos homines robore præditos, qui potius *Arimanni* a duplici Germanica voce dicti fuere. Quidam eſſe ſcribunt littora publica, ita nempe dicta ab ariditate. Alii vectigal, quod ex armentis animalium ſolvatur. Alii jus creandi Admiralium, ſive Admirantem, qui rebus maritimis præſit. Multi etiam armandias putant eſſe in Vaſallis obligationem eundi ad exercitum. Regis enim eſt ſubditos ad bellum vocare, *L. nemo. C. de re militari*. In tot opinionum diverſitate priorem, vel poſtremam eligendi tibi ſit poteſtas. II. *Viæ publicæ*, quarum ſolum publicum eſt, & per quas populo iter patet, *L.* 2. *& fin. ff. de itin. public. L.* 2. *ff. Ne quid in loco publ.* Eæ in prætorias, militares, & conſulares diſtinguebantur olim;

lim, earumque ſecuritatis cura apud Cenſores erat. Livius *Lib.* 41. Ædiles quoque Curules, ne ab aliis occupatæ eſſent, ſatagebant, *L. ediles ff. de via publ.* Converſo Reipublicæ ſtatu in monarchiam, Auguſtus peculiarem creavit magiſtratum, qui viis proſpiceret; atque ſubſecuti Imperatores pro earum refectione certam pecuniæ quantitatem quolibet anno a ſubditis, & Provinciis Imperii præſtari decreverunt: neque ab hoc onere Eccleſias immunes fore voluit Theodoſius, *L. ad inſtructiones. C. de SS. Eccleſ.* III. *Flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, L.* 1. *ff. de fluminibus.* IV. *Portus*, ideſt vectigal, quod pro tranſitu per pontem, vel in portu ſolvitur; quodque *portorium* alii vocant. Ceteroquin portus eſt locus concluſus, in quem portantur, & exportantur merces, *L.* 59. *ff. de V.S.*, & ad quem etiam navium *ſtatio* eſſe ſolet, ne tempeſtatum æſtu abripiantur, *L.* 1. *ff. de flum.* Expedit ſane ad commercia exercenda naves ad portum appellere. V. *Ripatica*, ſeu proventus, & vectigal pro tranſitu riparum præſtandum. Hanc receptiſſimam interpretationem eſſe tradit Sixtinus 2. *de Regal.* 5. *n.* 9. At Peregrinus

nus *Lib.* 1. *de J. Fiſci c.*1. *n.*24., ripatica accipit pro omni jure publico, quod Princeps habet in ripis fluminum publicorum, ſive reſpectu vectigalium, ſive aggerum, ſive etiam juris transfretandi de ripa ad ripam. Sane ripæ non ſecus, ac flumina ipſa, publicæ erant, *L.* 3. *eod.*, & patet ex fragmento Prætorii Edicti, quo vetitum fuit aliquid in fluminibus poni, ſive in eorum ripis, ne fortaſſe illorum uſus impediretur, *L.*1. *ff. Ne quid in flumine publico*. VI. *Vectigalia*, ideſt gabellæ, quæ ſolvuntur de mercibus, quæ de loco ad locum ttansferuntur. Sed lata ſignificatione denotant omnem proventum ex his, quæ publici juris ſunt. Vectigalia imponere ſupremæ poteſtatis eſt, *L. vectigalia* 10. *ff. de publicanis. tit. C. de vectigal. nov.* His Fridericus *telonia* adjunxit, ſive loca, in quibus vectigal penditur. VII. *Monetæ*, quam ſi quis privata cudit auctoritate, Majeſtatis reus evadit, *L.* 2. *C. de falſa moneta*. VIII. *Multarum, pœnarumque compendia*, ex *L.*5. *C. de mo. mult.*, quæ Fiſco Regio ſunt perſolvenda. Pœna genus eſt; multa ſpecies, & in pecunia conſiſtit. Illa ignominiam irrogat; hæc famam non minuit, *L.* 4. *de*

injuriis. V. Calvinum *Lex. Jur. v. multa*. IX. *Bona vacantia*, quæ etiam ex Lege Julia Fiſco debebantur, *L. quidem. de leg.* 1., *& tit. Cod. de bonis vacantibus*; Ulp. *Fragm. tit.* 28. X. *Et quæ*, *ut ab indignis*, *legibus auferuntur*, *niſi quæ ſpecialiter quibusdam conceduntur*. Sunt enim ſpecies, in quibus non Fiſcus, ſed ceteri ad indignorum bona admittuntur. Ex. gr. teſtamentarius tutor tutelam nolens gerere, legatum amittit, & filius, non Fiſcus capit, *L.* 1. *ff. de his*, *quib. ut indignis*. Ita in Fridericiano textu eædem ſpecies exceptæ cenſentur: XI. *Bona contrahentium inceſtas nuptias*; ita tamen, ſi non exſtent juſti liberi ad tertium uſque gradum, parentes ad gradum ſecundum, item frater, ſoror, patruus, & amita, L. *ſi quis inceſti*; *& Auth. inceſtas*. *C. de inceſtis Nupt. Nov.* 12. XII. Bona *condemnatorum*, *& proſcriptorum*; non exiſtentibus aſcendentibus, & deſcendentibus; nec collateralibus uſque ad gradum tertium incluſive, *Auth. bona damnatorum. C. de bon. damnat.* Adde infra num. 20. Ut generaliter dicam, jus bonorum publicandorum de regalibus eſt. XIII. *Angariarum*, *& parangariarum*, *& plauſtrorum*,

rum , *& navium præſtationes* (§. 54.) V. Cujac. *in tit. Cod. de curſu public. Lib.*12, & Calvin. *Lex. v. angariæ* . XIV. *Extraordinaria collatio ad feliciſſimam Regalis numinis expeditionem* ; videlicet præſtatio pecuniæ, annonæ, aliorumve vectigalium, ad quæ Civitates, Caſtra, & Barones pro exercituum tranſitu tenentur , *L.* 34. *de uſufr.* Hoc vocatur *ſuperindictum* , quia pro Principis utilitate , & neceſſitate indicitur ſupra ordinarias, & ſtatas indictiones , cenſus , & tributa : de quibus agitur *tit. ff. de cenſ. & tit. C. de indict. tit. de anno. & trib.* , *& tit. de coll. don.* XV. *Poteſtas conſtituendorum magiſtratuum ad juſtitiam expediendam*; quæ poteſtas a Populo Romano fuit in Auguſtum translata, *L.* 1. *ff. ad L. Jul. de ambitu*. XVI. *Argentariæ* , ſive ſecundum Hotomani ſententiam , jus dandi artificibus veniam elaborandi argentum : at Yſernia , Cujacius , & communiter alii id de fodinis intelligunt . XVII. *Palatia in Civitatibus conſuetis* ; regias enim Principum habitationes , necnon ſacroſancta juſtitiæ ſubſellia , quæ *Prætoria* dicebantur , uni Regi jus eſt conſtruere, *L.* 16. *de operibus public.* Verum Hotomanus mavult legere *placia*, vel

vel *placita*, ideſt jus indicendi nundinas; quod olim a Senatu in Imperatores translatum fuit, *L.* 1. *ff.* & *C. de nundinis*. XVIII. *Piſcationum reditus*, non jus piſcandi, uti tenet Hotomanus idem: nam hoc omnibus commune erat tam in mari, quam in flumine; ſed pars aliqua prædæ, quam Principes ſibi excepere. Sub piſcationis autem vocabulo venatio, atque aucupium ſubintelligitur. Pruckmann. *de Regal.* §. *venatio. n.* 5. Strykius *Præf. ad Fritſchii Corpus Juris venatorii*. Cujacius vero legit *picariarum reditus*: nempe locorum, e quibus effoditur pix; quæ cum ſint fodinæ, inter Regalia recenſeri poterant, *L.* 17. *de VS.* XIX. *Et ſalinarum*; hæ ſunt loca, in quibus oritur, vel reponitur ſal; quæ pariter inter publicas annonas numerantur *in d. L.* 17. Nec ſolum vectigal ſalinarium, ſed & ipſæ ſalinæ ad Regalia ſpectant. Quod de ſalinis in publico loco inventis extra dubium eſt. Sixtin. *cap.* 19. *n.* 12. Sed moribus (ſecus ex principiis Romani Juris *L.* 4. §. 7. *ff. de cenſ.*) obtinere in illis etiam, quæ in privato loco inveniuntur, ſcribit Strykius *Exam. J.Feud. c.*9. *quæſt.*19.XX. *Et bona committentium crimen Majeſtatis*. XXI.
Et

Et dimidium theſauri in loco Cæſaris inventi, non data opera, vel in loco religioſo: ſi data opera, totum ad eum pertineat. V. L. 3. ff. de J. Fiſci, & L. un. C. de theſaur. Lib. 10. Ceterum ad dirimendas quæſtiones, quæ inſtitui hac ſuper re quotidie ſolent, bona Regalia potius, quam Regalia jura parumper conſiderabo, ut rem explicate, ac diſtinċte tradam. Et bonorum omnium, quæ in Republica ſunt, triplex facio genus. Primo quædam imperio ſunt Regis, proprietate ſingulorum; uti bona quæcumque privatorum, quæ Regis eſſe dicuntur, quia de iis ferre leges poteſt; tributa, & veċtigalia imperare; iis uti; eaque Civibus auferre, vel in pœnam, vel ob publicam neceſſitatem; idque dominium eminens appellatur. Secundo imperio Regis, proprietate nullius ſunt, quæcumque in Republica in nullius dominium venere, uti portus, viæ, & alia; quæ ſunt Regis, non ſolum quia leges de iis ferre, tributa imperare, iiſque uti poteſt; verum etiam, quia eorum uſum Civibus vetare; omnemque ex iisdem reditum ſibimet reſervare non prohibetur: nemini enim injuria irrogatur, quum proprietas nullius ſit. Hæc bona Veteres publica, quaſi

quaſi populica, dixere, ubi Majeſtas penes Populum erat, hodie Regalia dicuntur. Res igitur publicæ imperio Regis ſunt & inter Regalia recenſendæ; non vero communes, uti aer, aqua profluens, & mare, quæ vel vaſtitate, vel mobilitate ſua eſſe in dominio nequeunt. Verum littora, & proxima iis maria, mariumque ſinus, ſub imperio Principis ſunt, proprietate nullius. Regalia ergo ſunt. Hac de re V. Grotium, Seldenum, & Bynkershoekium. At enim mare, ejuſque littora communibus rebus, non publicis accenſentur, §. 1. *J. de rer. diviſ.*? Ita vero. Sed hac in re levis momenti eſt Romanum Jus. Quid quod etiam ſecundum hoc Jus mare intelligendum de pelago, altoque mari; & littora de iis, quæ inhoſpita, ac deſerta ſunt; vel de ceteris quidem, ſed improprie, quatenus acceſſio maris ſunt? Alioqui littora in rerum publicarum cenſu refert Pomponius *in L. quamvis* 50. *de A. R. D.* Flumina omnia apud nos Regalia ſunt; non rivi, & torrentes, qui in privatorum fundis oriuntur, & per eos profluunt: nam proprietate privatorum ſunt, ſolo imperio Principis. Sane quum patriæ leges de flumini-

nibus, rivisque minime ſcriptæ ſint, receptis moribus, quoad flumina attinet, tam a civili Jure, quam a Friderici I. conventione deſcitum; quoad rivos vero Romano Jure vivimus. Fridericus publica voluit eſſe tantum flumina navigabilia, aut ex quibus fierent navigabilia. Civili Jure publica non ſunt, quæ non ſunt perennia, & quæ privatos fundos interfluunt. *L.* 1. *ff. de flumin.* Verum & hæc hodie publica cenſentur. Montanus *in cap. flumina navigabilia n.* 4. Hinc in Regno flumina omnia, uti & cetera Regalia minora, per inveſtituras in Barones transferuntur, ea formula, *cum fluminibus, aquis, aquarumque decurſibus*. De Franchis *dec.* 183. Afflict. *dec.* 388.; quæ ſi deſit, flumina conceſſa non videntur. Sæpe enim dictum eſt generale ſcitum, Regalia conceſſa haud intelligi, niſi ſpeciatim conceſſa demonſtrentur. Capyc. *Inveſtit. Feud. v. flumina*. Rivi autem, tamquam acceſſio prædii cenſentur; & ideo vel privati, vel publici juris. Capyc. v. *fontibus*. Regia Camera Summariæ videre ſolet, in quo fundo, privato ne, an publico, aquæ originem habeant. Quod ſi in Univerſitatis demanio oriantur, publici adhuc juris

P eſſe

eſſe exiſtimantur, & Baronibus addicuntur. Montan.*d. loco*. Proinde ſi oriantur in fundo meo, eas divertere poſſum, ne in fundum tuum intrent: ſi tamen ſtructile aliquod opus, jam conſtitutæ ſervitutis argumentum, non adſit. Tertio tandem imperio, & proprietate Regis ſunt, quæcumque in plenum ejus dominium venere, & de quibus pleno jure is diſponere poteſt. Hæc & antiquitus publica, hodie Regalia nuncupantur; atque ex cujuſque Regni legibus, moribuſque definienda. Hujuſmodi apud nos ſunt non modo bona vacantia, bona damnatorum, & proſcriptorum; verum etiam Apuliæ paſcua, pluraque Regia nemora, agri, domus, quæ Regalia certe ſunt. Quid de theſauris, ſalinis, & fodinis? Nimirum de theſauris exſtat Guilelmi I. Conſtitutio *pecuniam. de pec. invent. in reb. al.*, ex qua *inventiones omnes*, *quorum dominus non apparuerit*, & quidem infra annum, ad Fiſcum pertinent. Quæ Conſtitutio, etſi loqui videatur potius de rebus recens deperditis, vel defoſſis; nihilominus ob ejus generalem rationem ad theſauros extenſa eſt vel ab ipſius Guilelmi tempore. Proinde Carolus I. Andegavenſis *in cap. prædicti Magiſtri*,

ſtri, ſtatuit, quomodo ea in re procedendum. Verum Carolus II. *in cap. quia non decet*, Hadriani Conſtitutionem ſecutus, juſſit, theſaurum inventoris eſſe, ſi in ſuo quis invenerit: ſi in alieno, medietatem ſoli domino dandam eſſe; aut Fiſco, ſi in loco Principis, vel publico invenerit, niſi pravis artibus quæſitus fuerit. Qua de re jus dicit Regiæ Cameræ Tribunal. Hæc uſu ſervari ſcribit Afflictus *dec.* 321., *ibique Urſillus.* Præterea metallorum fodinas, & ſalinas inter Regalia eſſe affirmat Alvarottus *in cap. un. quæ ſint Regal.*, negat Andreas de Yſernia *ibid.* Rem definivit apud nos idem Carolus II. *in cap. quia non decet*; cum illas a theſauris ſeparavit, non ut plane ad Regem pertineant; ſed ut in iis Regi jus ſit, uti fuit *ab antiquo*. Conſtat quidem Romano Jure, ex hujuſcemodi fodinis metallicum canonem exactum fuiſſe. *L.*2. *C. de metallar.*, ex lapidicinis vero decimam Fiſco fuiſſe penſitatam. *L.*3. *eod.* Apud nos autem generatim ex metallorum fodinis, uti ex alumine, decimam deberi Fiſco, ſcribit idem Afflictus *dec.* 321. *V. Conſtitutionem Dohanæ. de ſecretis*. Jam vero res ipſa poſtulat, ut poſtremo hoc loco primas Regni leges

P 2 pro-

proferamus , quibus in florentiſſimo Regno noſtro Regalia ſtabiliuntur. Cum Nortmannorum gens, Apulia diviſa, Guilelmum Ferrabrachium creavit Comitem ; *Guilel. Apul. Lib. I.*, & *Chron. Caſin. II.67.*, eorum quiſque, tamquam Regulus, Dynaſtiolam regebat ſuam; omniaque exercebat Regalia . Legendus Pet. Diaconus *Lib. IV. cap.*10., 20., & 35. Falco Benevent. *ad ann.*1122., & Chron. Caſin. *Lib.III. c.*57. Nullum enim primi e Nortmannis ſuperiorem agnoſcebant; & juſta eorum belli jure adquiſitio erat, non uſurpatio injuſta, uti de Comitibus , & Ducibus Galliæ obſervatum eſt . Verum poſtquam feliciſſimus Rogerius, primus Siciliæ Rex , Dynaſtas omnes in officio contineri juſſit; omneſque Barones coegit , ut ſibi uni Regi , Dominoque parerent, ne in poſterum quisquam majeſtatis jura quocumque titulo uſurpare auderet, tamquam novæ Monarchiæ fulcrum, tulit Conſtitutionem *ſcire volumus. de juribus rerum Regalium* ; ut omnium ordinum Vaſalli , Principes (nimirum Regis filii), Comites , Barones , Archiepiſcopi , Epiſcopi , Abbates ſcirent , quicquid ex Regalibus jam quaſi poſſiderent , alienari nullo modo poſſe .

Me-

Medio ævo Regalium vocabulum πολυσημον deſignabat vel publicos Principum reditus, vel Eccleſiæ prædia; atque *regalia clauſa* dicebantur, ſi eorum reditus ad Epiſcopum pertinebant; *aperta*, ſi per vacantis Eccleſiæ tempus illos Princeps percipiebat; quo jure adhuc utuntur Reges Galliarum. Eſpenius *par. II. ſect. 3. tit.* 8. *c.* 8. Annæus Robertus *Rer. Judicat. III.* 1. Deſignabat etiam vocabulum illud feuda titulata, ut a non titulatis diſtinguerentur; & feudatarios *in capite Curiæ*, ut diſcriminari a ſubfeudatariis poſſent. Hotoman. *Verb. Feud. v. Regalia*. Tum Regalia, atque Imperialia ornamenta. Denique, ut Yſernia ſcripſit, jus belli paciſque, & alia, quæ *jura majeſtatis* elegantius dici poſſunt. Scip. Gentil. *Diſput. ad Conſt. Frider. I. tb.* 1. At, inquies, quonam ſenſu Regalium nomen in laudata Rogerii Conſtitutione uſurpatur? Fridericus II. in Conſtitutione *Conſtitutionem Divæ memoriæ*, de qua infra redibit ſermo, illam explicans, atque amplians, Rogerium *ſuper prohibita alienatione feudorum, & rerum feudalium* fuiſſe locutum ſcripſit. Quid hoc? Nonne de regalibus omnibus ſtatuit Rogerius? Nimirum privatis Regalia in Feudum tan-

 tum,

tum, & cum Feudali corpore concedi ſolebant olim; licet *commendari* potius, quam *concedi* dicerentur. Yſernia *cap.* 1. *de Feudis. March.*, & *cap.* 2. *quis dicatur Dux*. Subſecuti autem Neapolitani Reges rem ulterius produxere; officia, & fiſcales proventus in feudum ſeparatim a territorio feudali concedentes; immo in burgenſaticum, atque in perpetuum alienantes. Verumenimvero Matthæus de Afflictis *in d. Conſt. ſcire volumus n.* 4., aliique poſt eum Feudiſtæ tradidere, Feudum poſſe in allodium concedi, non vero officium, & jurisdictionem. Ubi enim territorium *jure Feudi* conceditur, etſi ordinaria ſervitia remittantur, remanet Feudum in Regalium numero, tum ob directum dominium, tum ob ſervitia in jurejurando fidelitatis promiſſa. Si vero ad Regem redeat, Feudi naturam amplius non habet, atque, ſalva majeſtate, in allodium concedi poteſt. Grotius *II. 6.* At officium jurisdictionis, vel miniſterii, & proventus fiſcalis, ſive in manu Principis ſit, ſive privati, ſemper eſt jus in Vaſallos, & regale; ita ut natura ſui, nullo prorſus modo in allodium concedi queat. E contrario ante Rovitum Hora-

ratius Montanus, qui cæteroqui inter noſtrates ſignum extulit, publici Juris facile ſcientiſſimus, *in L. imperialem* §. *præterea Ducatus*, & *de Regal. paſſim*, innixus *L. Africanus* §. *fin. de Legatis* 1., quæ frontibus adverſis potius cum ſua ſententia pugnat, arbitratus eſt, Regem omnia Regalia in allodium privatis concedere cum clauſula, *ſibi*, & *heredibus*, vel dilucidius *in burgenſaticum*, & *in perpetuum*. Verum Franciſcus de Andrea *in Alleg. pro Regio Fiſco apud Aget. ad Moles tom. II.* §. 16., recte ita ſcripſit: *Officium in burgenſaticum aliud non eſt, niſi illud non concedere in Feudum, nempe ut non ſubjaceat oneri ſervitii feudalis, ſed non ut ideo directum dominium transferatur in conceſſionarium, quod repugnat naturæ Regalium in terminis noſtræ Conſtitutionis*; quod Rex Philippus IV. probaſſe videtur *Pragm.* 3. *de off. ad R. M. ſpect.* Videndus noſter Carolus Pecchia *Tom. II. Diſſ.* 2. §. 14., & 31. Fridericus igitur, cum res Feudales omnes fore inalienabiles edixiſſet, & ſervitio ſubjectas, Feuda Franca, ſive in plenum allodium poſſeſſa excluſit. Horum enim natura eſſet, *ut eorum domini non haberent dominos principales ratione Terræ*,

& prædiorum, ſed ſuperiori nihilominus, ſcilicet Regi, ſubeſſent ratione jurisdictionis. V. Molinæ. *tit. de Feud.* §. 68. Rogerius, utpote qui primus ſibi revocaverat, quæ Coronæ Demanio conveniebant, ait, *qui de Regalibus noſtris magnum, vel parvum tenet*. Fridericus, utpote ſucceſſor hereditario jure, in Conſtitutione *dignum fore credimus*, legitimos Feudorum, & Regalium conceſſores Rogerium, & utrumque Guilelmum recognovit. Tum, ſicuti peſſimi moris erat, a majoribus Feudatariis adigi minores, ut fidelitatem iis jurarent; allodii item poſſeſſores cogi, ut illud in Feudum verterent; ita Fridericus idem, cui animus erat ſemper in pectore præſens, poſtquam bella in Regno interna vetuit *in Conſt. pacis cultum*, *& in Conſt. Comes Baro*, expreſſius in Conſtitutione *perſonas* juſſit Comitibus, & Baronibus Regni, ut a fidelitatis jurejurando illos liberarent; pœna bonorum omnium publicationis comminata. Nec mirum nobis videbitur, uti Matthæo de Afflictis viſum fuit, ſi graviori pœnæ alligatur, qui ſibi Vaſallum redderet Regis Vaſallum, quam qui Civitatem demanialem Feudi titulo occuparet; præſertim cum

in

in illis difficillimis Regni temporibus clauſula, *ſalva fide ſuperioris Domini*, verbo tenus addi ſoleret. Dilucidius primus Fridericus in Langobardia idipſum juſſerat. *II. F.* 53.

§. 69. *Num res Univerſitatis?*

Rerum Univerſitatis, quarum dominium non eſt penes ſingulos, ſed apud cives omnes, ſi inveſtitura erit peragenda, non cuiquam civi, ſed integræ Univerſitati facultatem competere, Doctores noſtri tradunt. Inde occaſionem arripientes, res Univerſitatis modo accuratius rimamur. Proprie Univerſitates heic dicuntur Civitates, vici, qui non ſingularum perſonarum, ſed familiarum multitudinem continent. Earum bona quædam in uſu ſingulorum ſunt, ut theatra, ſtadia, ſilvæ, paſcua, & alia; atque hæc proprie *res Univerſitatis*, & *demania* nuncupantur, quæ *ad ſingulos, uti ſingulos pertinere*, ajunt Pragmatici. *Demanii* vox, Gallicæ originis, cujusvis rei dominium antiquitus indigitabat. V. Freſnium. In noſtri Regni Conſtitutionibus dominium Regis potiſſimum ſignificat. Quare in Conſtit. *cum uni-*

univerſis . de homin. deman. affid. non tenend. a Friderico dicuntur *terræ demanii noſtri*, quæ *αμεσως* Regi ſuberant, nec in Feudum alicui conceſſæ. Cum vero ea bona Rex in Feudum concedebat, *demania Baronis* dicta ſunt. Tum idem vocabulum accommodatum eſt nemoribus, paſcuis, adquis, quæ in uſu Univerſitatum communi ſunt. *Pragm.*12. *de Baron.* Çeterum res ipſa ante nomen erat; atque ex ipſis Civitatum primordiis deducenda. Demaniorum uſu prohiberi cives nequeunt; nec Baro, qui civis ditior cenſendus eſt. *de Luca ad deciſ.* 197., *&* 489. *de Franchis*: Sed ii omnes nequeunt uſum aliis concedere. *Pr.*12. *de Baron.* Uſus igitur perſonæ Baronis in Regno hæret, nec Feudi conductor eum ſibi vindicare poteſt. Bovadill. *II.* 16. *n.* 198. Sunt & demania Baronis; ſcilicet, ut dixi, bona olim publica; atque idcirco Principis, quæ deinde in Feudum conceſſa fuere. Hinc fit, ut in dubio demania ad Univerſitatem pertineant; niſi Baro evidenter oſtenderit inveſtituram, vel ſaltem longam jure Feudi poſſeſſionem. Covarr. *Pract. quæſt. c.*37. Inde etiam ſequitur, ut in hiſce demaniis intelligatur uſus civibus conceſſus; etſi Feudum conſti-

ſtitutum dicatur *cum venationibus*, *nemoribus*, *aucupiis*, *ſidis*, *paſcuis*, *fontibus*, & id genus aliis. Nam præſumi non debet, Pincipem privare velle ſubditos neceſſariis vitæ ſubſidiis ; & alioqui demania dici non poſſent. Jus vero ſidæ in inveſtituris ad defenſas refertur. Si vero quid ex uſu Civium ſuperſit, quod mercede concedi aliis poſſit, quodque *ſidare* dicitur, in demaniis Univerſitatis hoc jus Univerſitati competit, in Baronis demaniis Baroni. Civem autem facit non ſolum origo, adlectio, ſed & domicilium, *L*. 7. *C*. *de incol*., *&* *ub*. *quis domicil*. *hab*. *vid*. & per decennium habitatio, *Rovit*. *in d*. *Pragm*. 12. *de Baron*. *n*. 4., & beneficium Eccleſiaſticum cum Eccleſiæ miniſterio, *De Marin*. *Reſol*. *Jur*. *l*. 220. Quædam alia Univerſitatis bona in uſu totius corporis ſunt, ut ex iis expenſæ Univerſitati neceſſariæ ſuſtineri poſſint ; atque hæc, ceu res ſingulorum, inſpici poſſunt ; cum Univerſitas veluti civilis perſona ſit. Hujus generis cenſentur defenſæ, fundi, molendina, vectigalia, atque alia jura, quæ ab Univerſitate locari ſolent ; & quæ *ad ſingulos*, *uti univerſos pertinent*, pro vulgari loquendi uſu. Defenſæ ſunt nemo-

mora, paſcua, in quibus pro certa mercede, quæ *fida* audit, civibus uſus conceditur. Quæ merces nec augeri, nec commutari poteſt, ut civium damnum vitetur; idque etiam in Baronum defenſis obtinet. Afflict. *ad Conſt. quum per partes Apuliæ*. Demania autem Univerſitatum, & Baronum nequeunt fieri defenſæ ſine conſenſu ſingulorum, quorum intereſt (cum & *jus promiſcuitatis* inter plures Univerſitates eſſe ſoleat), & ſine Regis licentia, ne quid fiat in Univerſitatis detrimentum. *Pr.* 11. *de Baron.* (§. 56). Tum vectigalia, & alia bona Univerſitatis nequeunt vendi, aut locari, niſi legitima auctione, & idonea præſtita cautione. Ab auctione vero excluduntur ipſius Univerſitatis adminiſtratores, atque Univerſitatis debitores ex priori conductione. *Pr.* 5. 6. & 8. *de adminiſtr. Univerſ.* Locatio autem quotannis facienda eſt. *Pr. ult.* §. 5. & 7. *d. tit.* Tandem ex horum bonorum reditibus primum ſolvi debet Regio Fiſco, & creditoribus, qui a Fiſco cauſam habent, in ejuſque locum ſucceſſere, qui *Fiſcalarii* dicuntur, dein Univerſitatis ipſius creditoribus, qui *Inſtrumentarii*: atque expunctis nominibus,

quod

quod ſupereſt in emtionem bonorum erogandum, vel in neceſſarias impenſas; puta in reſtaurationem pontium, viarum. *Pr.* 15. *eod.*

C A P. II.

DE FEUDI CONSTITUTIONE, SEU DE INVESTITURA.

§. 70. *Qua in re Feudi conſtitutio ab ejus adquiſitione differat; & quibus modis Feudum conſtituatur, atque adquiratur.*

NUnc quomodo Feudum conſtituatur, diſquirendum eſt. Conſtitutio Feudi alia eſt ab ejus adquiſitione; & hanc præcedit. Quod licet fieri poſſit, ut utraque eodem ſit tempore; natura tamen conſtitutio adquiſitione prior eſt. Eguinarius Baro in *I. F.* 25.; tametſi Interpretes conſtituendi, atque adquirendi modos vulgo perperam confundant; quod ipſum etiam Obertum feciſſe *d. loco* conqueritur Weſembecius *cap.* 6. Sed & ipſe haud multo felicius illos diſtinguit. Profecto *conſtituere* ad Seniorem refertur; *adquirere* ad

ad Vaſallum. Cum autem hæc correlativa ſint, & ſtatim ac Dominus conſtituit, Vaſallus adquirit, non raro unum, idemque indigitant. *d. loco*, & *I. F.* 2. Conſtituendi modum bene Vultejus ſingularem facit, nempe inveſtituram. *Lib. I. cap.* 7. Modos vero adquirendi Feudum (novum ſcilicet, quod proprie *adquiri* dicitur), varios varii Interpretes recenſent; donationem, permutationem, emtionem, recognitionem, judicis ſententiam, jus adcreſcendi, alioſque. Sed hos inſuper habeo. Verius eſt, proprium adquirendi modum eamdem eſſe inveſtituram. Nimirum vera inveſtitura Feudum eo ipſo, quod conſtituitur, ſimul etiam adquiritur: qui actus re ipſa quidem unicus eſt, ſed ratione diſtinctus, uti appoſite ait Vultejus idem *Lib. I. cap.* 9. Quin inveſtitura vel ipſa allodia barbarorum ætate adquirebantur. Cujac. *II. F.*2. Heinec. *Elem. Jur. Germ. Lib. II.* §. 24. Improprii item adquirendi modi duo ſunt, præſcriptio, quæ pro inveſtitura cenſetur; & ſucceſſio, quæ feudum jam adquiſitum præſupponit. Ordo igitur poſtulat, ut hoc capite de inveſtitura pertractemus; duobus ſequentibus ad præſcriptionem, & ſucceſſionem inveſtigandam progrediamur. §. 71.

§.71. *Inveſtituram titulus præcedere debet. Hinc Feudum licitis pactionibus, imo & in teſtamento conſtitui poſſe oſtenditur.*

Sicuti per traditionem tum demum rei dominium adquiritur, cum juſta ſubſit cauſa, ſeu titulus, ex quo traditio fiat, *L. nunquam* 31. *ff. de A. R. D.*, ita per inveſtituram Feudum conſtituitur, & adquiritur, ſi juſto titulo ſit ſubnixa, cujuſmodi eſt præſertim donatio, venditio, & permutatio; quos titulos inter modos feudum adquirendi, uti diximus, complures Interpretes referre maluerunt. Ita Hotoman. *Diſp.* 17., & Weſembec. *c.6.* Et quod donatio ſit juſtus titulus, nullum dubium eſt; frequentiſſime enim Feudum eſſe beneficium in Juris Feudalis textibus dicitur. Et quia donationi ſimilis eſt dotis datio, *L. ult. C. de donat. ante nupt.*, poteſt & Feudum in dotem adſignari. Ceterum Feudum non eſſe ſimplicem donationem, cum tacita inſit conditio fidelitatis, oneriſque militiæ, alibi obſervatum a nobis eſt. (§. 3. *pag.* 5.). De emtionis venditionis titulo ſunt textus *in c.* 1.

qui

qui feud. dare poſſ. c. 1. *de Feud. Guard. c.* 1. *quemad. feud. ad fil. pertin. c.* 1. *de nat. Feud. c.* 1. *de benefic. frat. & c.* 1. *de inveſt. in marit. fact.* Et licet per emtionis contractum Feudum conſtitui, contra ejus naturam videatur; attamen auctoritate Principum id ſuſtinetur, uti apud Romanos uſusfructus venditio ipſo jure non conſiſtebat; ſed tantum Prætoris auctoritate ſervabatur, *L.* 11. §. *uſusfructus ff. de Pignoribus* (§.19.) De titulo permutationis, quam Feudiſtæ Langobardorum vocabulo appellant *cambium*, textus ſunt *in cap.* 1. §. *cum autem. ſi de inveſt. feud. controv. fuer.*, *& in c.* 1. *ſi de Feud. Vaſall. interpell. fuer.* Immo generatim quacumque pactione conſtitui Feudum, cum ſcilicet de re in Feudum danda inter Dominum, & ſuſcipientem convenit, atque contractum hunc propriam habere naturam, nemo ambigit: adeo ut vere non ſit neque donatio, neque emphytheuſis, neque aliud quodvis genus earum conventionum, quæ Juſtiniani ætate in uſu erant; neque actio ex his contractibus in Feudo competat; licet ſimilitudinem cum iis maximam habeat (§. 7. *& ſeqq.*). Verum non ſecus ac in omnibus aliis juri-

ribus in re adquirendis ſecernenda eſt *promiſſio* a *conſtitutione*, & *adquiſitione* in jure Feudi adquirendo. Servitus,ex.g.,viæ promiſſa, diſertis verbis diſtinguitur a ſervitute conſtituta. Non enim conſtituitur, nec jus in re adquiritur, niſi traditio, vel, quod loco traditionis eſt, ſequatur, *L.* 3. *de O. & A. L.* 20. *C. de pact.*; & ſimplex ſtipulatio juris cujuſdam in emtorem fundi non tranſit, *L.* 98. & 140. *de V. O.* Quod ſi alibi dicitur, ſervitutem conſtitui pactionibus, *L.* 10. *de S. R. P. L.* 23. *de S. V. P.* §. 1. *de uſufr.* §. *ult. de ſervit.*, latius vox *conſtituere* ſumitur pro omni eo, quod quoquo modo ad conſtitutionem pertinet. Jam ex pacto licet Jure Civili non detur actio, *L.* 7. *ff. de pact. L.* 10. *C. eod.*; moribus tamen Populorum, ex quibus Feuda profecta ſunt, & noſtris efficax inde naſcitur actio. Vinn. *de pact. cap.* Pactionibus autem nonniſi licitis, honeſtiſque Feudum conſtitui poteſt. Exemplo res illuſtrabitur. Si quis rem pignori ea lege obligaverit, ut ſi ſtato tempore pecuniam non ſolveret, res creditori in Feudum foret; poterit nihilominus reciperare pignus; nec erit Feudum. *I. F.* 27., & *II. F.* 51. §. *ſimiliter*

Q *Feu-*

Feudum. Lex enim commiſſoria, uti captioſa, damnata eſt in pignoribus. *L.ult. C. de pact. pignor.* Poterat in Feudo dubitari: nam qui accipit, non omnino gratis habet, ſed pro fide, & obſequio. Conventio autem illa ſuſtinetur, ut tunc res creditori emta ſit juſto pretio. *L. ſi fundus* §. *ult. ff. de pignor.* Forte hæc ratio Obertum movit, ut cenſuerit, Feudum lege commiſſoria datum valere, *d.* §. *ſimiliter Feudum*. Verum magis probatur ſententia Gerardi, Feudum hoc modo datum non valere. Sane maxime naturæ Feudi adverſatur, ut pœnæ cauſa adquiratur; cum ex amicitia, & honore Domini potius adquirendum foret. *I. F.* 27. Gudelinus *de J. Feud. parte* 2. *cap.*4. *n.*4. Tandem, utrum in teſtamento Feudum conſtitui poſſit, in Feudorum libris deciſum non invenio. Quod enim legitur *I. F.* 8., nullam defuncti ordinationem in Feudo valere, ad vetus Feudum, & ordinationem, quam de eo faceret Vaſallus, referre debemus. Quoniam vero morienti patrifamilias *legandi* liberrima poteſtas data eſt; & alia jura tam in teſtamento, quam inter vivos recte conſtituuntur, §. *ult. J. de ſervitut.* & §. 1. *J. de uſufr.*, Feudum quoque in teſta-

teſtamento, ſive legato, ſive heredis inſtitutione conſtitui poſſe, negari non debet. Et negat tamen Giphanius, quia mortuo Domino nulla fides præſtari poteſt. Sed vir doctus audiendus non eſt. Quid enim prohibet, a Vaſallo heredem Domini adquirere fidem, atque obſequium? Ex Giphanii ratione efficeretur, inutilem eſſe ſtipulationem, poſt ſtipulatoris obitum conceptam; quod ſecus eſt, uti *ex tit. Inſt. de inutil. ſtipulat.* Et unuſquiſque paciſcendo poteſt heredi ſuo favere, *L.* 33. *ff. de pact.* Stet igitur, promiſſionem Feudi, quæ præire debet, fieri poſſe vel actu inter vivos, ſcilicet pacto, aut contractu quodam, quo Dominus ſe obligat ad conſtituendum per inveſtituram alicui Feudum, unde oritur jus ad rem, & actio perſonalis; vel ultima voluntate; unde jus teſtamento delatum convenientibus actionibus heres, aut legatarius perſequitur. Struvius *cap.* 7. *Syntag: J. F. aphor.* 3.

§. 72. *Inveſtitura per abuſionem ſic dicta, ad Feudi conſtitutionem, de Jure communi Feudali omnino eſt neceſſaria.*

Ad rem feudalem conſtituendam, & jus Vaſallo in ea adquirendum, non ſolum opus eſt, ut præceſſerit contractus (etſi firmus a multis adeo exiſtimetur, ut nullus ſit amplius pœnitentiæ locus); ſed debet factum traditionis, vel quaſi, intervenire, ut res ita efficiatur (§.71.). Hoc factum *inveſtitura* vocatur; ita dicta vel a Germanico *veſten*, quod ſignificat firmare, ſtabilire; vel ab *inveſtire*, ſeu veſte aliqua induere; ſollemnibus enim veſtimentis in hujuſmodi inaugurationibus uti ſolebant, præſertim Langobardi: unde & *inveſtitio* dicitur *I. F.* 26. Verum *inveſtitura* proprie eſt poſſeſſio rei, ſive ejus traditio, & apprehenſio: abuſive vero dicitur, quando haſta, baculum, ſceptrum, gladius, vel aliud pro Regionis more, quod futuram innuit poſſeſſionem, alicui a Domino porrigitur, ſe inveſtituram facere dicente. *II. F.*2. Hac acceptione, de qua in primis loquimur, eſt actus legitimus, ſeu ſollem-

ni-

nitas, & ceremonia imaginariæ traditionis, ſine qua ſollemnitate Feudum conſtitui nequit. *I. F.* 25. Immo etſi inveſtitura proprie accepta, ſeu vera traditio intervenerit, abuſivam etiam ſequi neceſſe eſt. Id tuetur præ ceteris Gudelinus *de J. Feud. parte* 2. *cap.* 5. *n.* 2. Et vero in dicto textu evidenter declaratur. Tum ibi ſubditur, ei, qui ita naturalem poſſeſſionem nactus eſt, licere quaſi Feudi nomine retinere; herede ejus in hoc jure nullo modo ei ſuccedente. Nam ille exceptione doli mali adverſus Dominum ſe tueri poteſt. *L. qui æquitate ff. de doli mal. except.* Alia eſt cauſa heredis; quia agit: atque inveſtituræ renovationem, quaſi tunc vacantis Feudi, a Domino poſtulare debet, ſine qua non agnoſcitur. *II. F.* 3. Nec refragatur, quod alibi ſcriptum eſt, ſi coram Paribus Curiæ ita dixerit Dominus: *Vade in poſſeſſionem iſtius Fundi, & tene illum pro Feudo*, licet non interceſſerit inveſtitura, perinde haberi, ac ſi interceſſiſſet. *II. F.* 33. Quoniam ea poſſeſſio eſt loco inveſtituræ, ſed non illius heredi: adeo ut tantum, qui accepit, quaſi Feudi nomine rem retinere poſſit, non quaſi vere Feudum. At ſi longa

30. anorum poſſeſſio acceſſerit, *II.F.26.§. ſi quis*, immo, ut quidam putant, 10. annorum inter præſentes, 20. inter abſentes, *arg. L. ſi quis* 8. *ff. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.*, cum valeat non modo ad excipiendum, ſed ad agendum, etiam heredibus proderit; modo & cetera in uſucapionibus requiſita non defuerint. Quod enim ſcriptum eſt, ſine inveſtitura nullo prorſus modo Feudum conſtitui, intelligendum, ut non ſufficiat ſimplex traditio, vel Domini patientia; licet hæc communi Jure ſint ad aliarum rerum adquiſitionem ſatis, *§. per traditionem. J. de rer. diviſ. L. 1. in fin. ff. de S.R.P.*, non vero quin uſucapio, quæ legitimus quoque adquirendi modus eſt, tantum præſtet, quantum inveſtituræ ſollemnitas. Atqui uſucapionibus rerum immobilium omnium, nec non incorporalium, tempus eſt 10, vel 20. annorum. *princ. tit. J. de uſucap. L. corruptionem C. de uſufr. L. 4. C. de ſervitutib.* Textus autem *II.F.26.*, qui mentionem facit 30 annorum, non loquitur de uſucapionibus, ſed de longiſſimi temporis præſcriptionibus, ideſt, de exceptione, & excluſione actionis; quæ exceptio etiam malæ fidei poſseſſori competeret. *Dixi in tit. Inſt. de perp., & temp.*

temp. act. Quod autem additur *II. F.* 33., & *I. F.* 26. *in fine*, ſi quis probaverit, ſe aliquid nomine Beneficii ſaltem per unum annum tenuiſſe, Domino ſciente, nec contradicente, licet non probet inveſtituram; attamen eum obtenturum, præſtito juramento; tantum abeſt, ut dictis obſtet, quin potius demonſtret, inveſtituram ad jus Feudi adquirendum prorſus neceſſariam eſſe. Jusjurandum enim cur exigitur, niſi ad probandum, inveſtituram interveniſſe? Et quidem illi textus non de jure Feudi per poſſeſſionem adquirendo ſtatuunt, ſed de præſumptione, quæ inde manat, factæ inveſtituræ, ejuſque probatione. Gudelinus *d. loco n.* 4.

§. 73. *Signis quibuſdam expeditur.*

Dictum eſt, porrectione haſtæ, vel alterius rei corporeæ inveſtituram fieri. Ratio eſt, quia maxima, & præcipua Feudorum pars in honoribus, juribuſque conſiſtit; quæ cum incorporalia ſint, non ſine ſigno aliquo corporeo tradi, capique poſſunt. Ita ex. gr. enſis meri imperii nota eſt; vexillum exercitus; annulus ſignum eſt Feudi noviter conceſſi. Et licet

Feudum aliquod in re corporea conſiſtat, ſemper tamen commodum non eſt, Dominum in rem præſentem futurum Vaſallum ducere; adeo ut ſatius viſum ſit, ſymbolo cujuſdam rei præſentis, atque mobilis traditionem rei abſentis, immobiliſque repræſentari. Symbola adhiberi ſolita varia ſunt; nec eadem in omnibus Feudorum, Vaſallorumque generibus. Signa omnia variarum inaugurationum ad militiam armatam, ac togatam, necnon ad Eccleſiaſtica munia, plena manu exhibent Hotomanus *Diſp. de Feud. cap.* 32. Petrus Gregorius *in Syntagmate Juris univerſi Lib. VI. cap.* 10., *&* 14. Gudelinus *de J. Feud. p.* 2. *c.* 6., aliique. Quod ſi quis vetuſto delectetur exemplo, præſto eſt memorabilis, quam refert Dion, vox illa Trajani Præfectum Prætorio conſtituentis: *Accipe hunc enſem; & ſi quidem recte, & e re publica imperavero, pro me: ſin ſecus, in me utere.* In Feudis olim hæc ferme formula: *Ego hoc gladio*, vel *hac haſta te inveſtio*. Sed de hac re potius ſecundum varios Regionum mores dijudicandum. Et hodie intelligitur Inveſtitura, quoties quocumque modo de Feudo privilegium a Domino fuerit

rit conceſſum : cum ſupremus Princeps , qui ipſe legum conditor eſt, nullis earum ſollemnitatibus adſtrigatur . Unde is poſſet abſque inveſtitura, ulloque genere traditionis Feuda, certamve eorum formam conſtituere. Matth. de Afflictis *ad I. F.* 25. *arg. L. pen. C. de don. int. vir.*, *& ux.*, *& L. omnium C. de teſtam.* Alicubi etiam receptum eſt, inveſtituram, ut conſiſtat, in ipſo Feudo faciendam eſſe . Ceterum recte plerique ſcripſere, non referre, quo loco inveſtituræ negotium expediatur. Hannetonius *de J. Feud. l.* 8. Cum enim ſit actus voluntariæ juriſdictionis , quolibet loco , etiam in aliena Provincia, celebrari poteſt , *L.* 1. *&* 2. *ff. de off. Proconſ. L. emancipari. ff. de adoptionib.*

§. 74. *Cum Parium Curiæ teſtimonio.*

Inſuper ex Feudali Jure in Inveſtitura teſtes adhibendi ; nam ſine legitima teſtificatione nulla ejus vis eſt, *II. F.* 32. Teſtes autem eſſe debent Pares Curiæ, non extranei. *II. F.* 23. Illorum enim ſanctior fides; nec Dominus ab iis ſibi cavere, vel perniciem metuere poteſt, *II. F.* 58. §. *idcirco*. Et quidem duo ad minimum neceſ-

ceſſarii ſunt. *II. F.* 2. In probanda autem Vaſalli infidelitate, quia res eſt magni præjudicii, quinque idonei teſtes requiruntur, *II. F.* 57. Pares Curiæ dicuntur Vaſalli ejuſdem Domini, a quo Feudum conceditur; ita dicti, non quaſi Domino pares, ſed quod illi inter ſe, & veluti ſocii ſint. Duaren. *de Feud. cap.* 7. Dicuntur quoque *Pares Curtis*, uti legit Cujacius *in tit.* 2. *Lib* 1., redarguens Juris Feudalis ignaros, qui *Pares Curiæ* interpretantur *Patricios*. Adhibendi quidem Pares illi non tam probationis, quam ſollemnitatis cauſa ad ſubſtantiam actus; cui nec ipſe Dominus renunciare poteſt; cum Juris publici ſit. *II. F.* 33. Stryk. *Ex. J. Feud. cap.* 12. *quæſt.* 10. Exinde diſtingui poteſt inter teſtes in inveſtitura adhibendos; & illos, per quos ea probanda; ita ut ad hoc ſufficiant extranei, qui deponant, Pares Curiæ adfuiſſe. Bitſch. *Comment. Feud.* Quod ſi Dominus Pares Curiæ non habeat, alii teſtes idonei, & fide digni admittuntur, *arg. II. F.* 2.: & liberi homines, non ſervi, *II. F.* 58. *quod autem*. Servi namque nullam Juris civilis communionem habent; nec actibus legitimis intereſſe debent, *L. in omnium*. 135. *ff. de R. J.* Quid ſi quis

Pa-

Pares habeat, ſed abſentes? Extraneos admittendos eſſe, vult Obertus *I. F.* 26. At enim abſentes expectandos eſſe, dicitur *II. F.* 33. Hoc probat Vultejus *cap. 7. n.* 47., qui in textu *I. F.* 26. pro *abſuerint* legere mavult *non fuerint*. Diſtinguendum magis eſſe reor inter abſentiam non adeo remotam, & remotiſſimam: de hac ſermo eſt in *I.F.* 26., de illa *II. F.* 33. Sin Pares præſentes ſint, ſed inhabiles, pro abſentibus habentur; veluti pupilli, furioſi; etſi tutores, curatoreſve habuerint. Extraneus autem ſi communi errore pro Pari Curiæ habeatur inveſtituræ tempore, hanc valere æquius eſt, *arg.* §.7. *J. de teſtam.* Poſtremo animadverti debet, Parium teſtimonium eſſe neceſſarium, tam ſi Laicus, quam ſi Clericus ſit, qui inveſtiat, *II. F.* 32. Sed adverſatur locus alter *I. F.* 26. §. *ult.*, ubi dicitur, Clericos ſæpe in occulto hoc negotium agere. Vulgo hic textus refertur ad res Eccleſiaſticas; ille ad res Clericorum proprias. Sed diſcriminis hujus rationem non video. Dici poſſet, illorum textuum diſcrepantiam adſcribendam eſſe generali veterum diſſentioni, an ullæ inveſtituræ preſentiâ Parium indigerent. Ferrarius *Collectaneor. in Uſus Feud.* *Lib.*

Lib. III. cap. 1. Gudelinus *parte* 2. *c.* 5. *n.* 7. & 8.

§. 75. *Scriptura ad ſubſtantiam, vel teſtationem inveſtituræ non eſt neceſſaria.*

Utiliter fit inveſtitura, ſcriptura interveniente, quæ *Breve teſtatum* in Libris Juris Feudalis dicitur. Sed ea tamen non eſt neceſſaria ad hujus actus teſtationem, vel ſubſtantiam. Satis eſt, ut in pleriſque aliis, in hac re quodcumque probationis genus *I. F.* 4. *L.* 4. *ff. de fide Inſtrum.* Atque in hoc etiam Doctores ajunt, Feudum differre ab emphyteuſi, ob *L.* 1. *C. de J. emphyt.*, ſeu potius ob ſententiam communiter a Doctoribus receptam, cui adverſatur Cujacius *in Comm. ad d. tit. de J. emphyt.* Igitur potius ſcriptura requiritur ad probandam inveſtituram; non vero ad ejus validitatem, ex generali definitione *F.* 4. *ff. de pignorib.*

§. 76.

§. 76. *Quæ vis rite recteque factæ inveſtituræ? An per eam tranſferatur utile Feudi dominium in Vaſallum.*

Per inveſtituram contractus, qui præceſſit inter Dominum, Vaſallumque, certe confirmatur. Utile dominium, ſeu jus illud in re, de quo ut tranſeat in Vaſallum convenit, non tantum jus ad rem, inveſtito adquiri, mihi contra complures Interpretes videtur. Me movet, quod Feudum per inveſtituram conſtituitur, quodque ipſe ritus oſtendit, hanc vice traditionis eſſe. Quapropter licet mancipationis ſollemnitas tam inter vivos, quam in teſtamentis abolita ſit, *tit.* C. *de nudo Jure Quirit. toll.*, & *tit. de uſucap. transf.* §. 1. & 2. *J. de teſtam. ord.*; ejus tamen veſtigium, ſeu ſimulacrum videre eſt in Feudorum inveſtituris. Nec novum, rerum dominia, aliaque jura realia transferri Juris Civilis auctoritate, civilique ratione, etiam ſine apprehenſione, *L. cum heredes ff. de adquir. poſſeſſ.* Ita Duarenus *de J. Feud. cap.* 7. *n.* 4. aliique.

§. 77. *Fidelitatis jusjurandum poſt inveſtituram a Vaſallo præſtandum.*

Dominus Feudi inveſtituram facit: futurus Vaſallus jusjurandum præſtat fidelitatis; quod quandoque in libris Feudorum *fidelitas* diçitur *II. F.* 4., ea locutionis forma, qua contentum, ut ajunt, pro continente ſumitur; quodque vulgo *homagium* dicitur, voce nec latina, nec in Feudorum libris exſtante, ſat tamen antiqua, cum aliquoties in Pontificiis Conſtitutionibus inveniatur *c. ex diligentia. de ſimonia, c. ult. de R. J., c. grandi. de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6.* Sic dicta potius ab *homine*, cum *homo alicujus* pro *Vaſallo* ſæpe apud Veteres legatur, & *hominium* pro *homagio* (§. 23. *pag.* 42.) Hotoman. *de Verb. Feud. v. homo*; quam ἀπὸ τοῦ ὀμνύειν; quod eſt *jurare*. Poſt veterum dubitationes obtinuit, Inveſtituram præcedere debere; hanc juramenti ſollemnitatem ſequi, *II. F.* 4. Nec male ea ratio affertur, quod illa ſit hujus cauſa; hinc anteire debet, *arg. L. ex placito. C. de rer. permut. L. naturalis. §. quod ſi faciam. ff. de præſcriptis verbis*. Proinde con-

contractus, qui inveſtituram præit, niſi hæc ſequatur, innominatus erit; nec Vaſallus ex eo ad aliquid obligatur. Quoniam vero moribus ex pacto feudali obligatio, & actio naſcitur, nec eſt locus pœnitentiæ, licet cauſa nondum ſubſecuta fuerit; hinc ſi Dominus agat, ut fidelitas ſibi juretur, antequam ipſe inveſtituram adimpleverit, futuro Vaſallo exceptionem competet; ſicuti emtori competit exceptio mercis nondum traditæ, *L. qui pendentem. ff. de act. empt.* At contra eam regulam, nimirum inveſtituram præcedere debere, ſcrupulum quemdam injiciunt duo textus. Alter *II. F.* 3., ubi ſcriptum eſt, recuſanti facere fidelitatem, nullam oportere fieri inveſtituram. Verum hic recuſans eſt, qui dicit, ne quidem ſi inveſtiatur, fidelitatem facturum. Alter *II. F.* 24., ubi ingratus dicitur, cui Dominus inveſtituram pollicetur, ejuſque fidelitatem petit, & hanc non præſtat. Verum hic de veteris Feudi inveſtitura, ſeu inveſtituræ renovatione agitur, ut alias conciliationes omittam. At nuperrime relata regula ita intelligenda, ut Dominus cogere Vaſallum queat ad fidelitatem ſibi jurandam; non autem, ut ex mutuo conſenſu is ordo inverti nequeat:

adeo-

adeout ſi Vaſallus antea juramentum præſtaverit, vi contractus ex ſua parte ſubſecuti, Dominum devinciat ad inveſtituram tum abuſivam, tum veram faciendam. Curt. *part.* 2. *tract. feud. n.* 37. Ceterum jusjurandum fidelitatis remitti poteſt, *II. F.* 3. & 24., & ſufficit, rem eſſe fidelitatis cauſa datam, acceptamque (§. 3. *pag.* 7.). Generaliter itaque inveſtitus jurare debet, etiam in Feudo Franco, cum in hoc ſola ſervitia remiſſa cenſeantur. Dominus quoque Vaſallo fidelis eſſe debet, ſed fidelitatis juramentum minime præſtabit; quia nullibi in Jure definitum eſt. Præterquam quod abſurdum foret, beneficii collatorem ad jurandum adigi. Cum ergo fides ſit reciproca, *II. F.* 6. *in fin.*, hinc ſi ab una parte ea denegetur, ex altera non eſſe obligationem ad fidem, ſcripſit Strykius *Exam. J. Feud. c.* 13. Nam tacita clauſula ineſt, *rebus ſic ſtantibus*. Quis autem præſtare debet hoc juramentum, & cui, ſi plures ſint Domini, pluresque Vaſalli, vel heredes, exponit inter alios Struvius *c.* 10. *th.* 9. *ex II. F.* 26. & 77. Præterea quod dictum eſt, inveſtitum jurare debere, exceptiones quaſdam habet; ut puta in impubere, donec ad ætatem pervenerit, qua ſit doli

doli, atque adeo jurandi capax, *II. F.26.* §. *ſi minori*. Alia exceptio eſt, quod Eccleſia ipſo jure ſoluta ſit jurejurando fidelitatis, uti habetur in Extraordinario Capitulo *de negotio*, *ſuper quo*, *I. F.* 104.; id tamen non obſervari, ſcribit P. Gregorius *in ſyntagm. Jur. univerſ. VI.* 15. *n.* 19. Et de Jure Canonico Prælatus nomine Eccleſiæ jurat, Struv. *cap.* 8. *th.* 6. *n.*2. Vides, interdum Feuda dari, & adquiri ſine juramento fidelitatis, *II. F.* 3. *&* 24. Unde diſtinctio Vaſallorum *per ſacramentum*, *vel non*; uti *II. F.* 47. *in fine.*

§. 78. *Quid contineat.*

Diverſa vis eſt fidelitatis, quam jurat Vaſallus, & ejus, quam jurant alii, *II. F.* 5. §. *ult.* Sed & in Vaſallo generalis fidelitatis jurata promiſſio admitti poteſt, *II. F.*7.; nam ex eo quod agitur, fidelitas, quæ ſit, diſcernitur. Satius tamen eſt, ut fidelitatis genus verborum etiam formula diſcernatur. Perfecta forma eſt, ſi juret quis, ſe fidelem fore, ſicut eſſe debet Vaſallus Domino, *II. F.* 5. Generalis eſt hæc Vaſalliticæ, & feudalis fidelitatis profeſſio. Hinc addi ſolent quædam præcipuæ cauſæ,

propter eos, qui neſciunt hujus jurisjurandi vim. *II. F.7.*, ex.gr., ut ne Vaſallus prodat Domini arcana; neve conſilio, ope, facto noceat Domino in corpore, animo, honore, fortunis: immo ut contra nitatur, impediendo, denuntiando, adiuvando; reddatque ita Dominum *incolumem*, quoad perſonam, *tutum*, quoad bona, & *honeſtum*, quoad famam, ut *in locis citat*: qua in re Cujacius *tit. 7. Lib. II. Feudor.* refert Regni noſtri Conſtitutionem *III. tit.* 15. Quandoque arctior fides eſt, uti in Feudo ligio (§. 17.): licet contra diſtinctionem Feudi ligii, & non ligii, diſputent Hotomanus, *Diſp. de Feud. III.* 7., & Eguinarius Baro *de Jur. Benefic. I.* 4. Jam vero hominii duæ ſunt partes, jusjurandum, & nota ſubjectionis, aliave cæremonia: qua de re nihil in Feudorum libris cautum eſt. Et forma juramenti in tactu ſanctorum Evangeliorum, *ut in loc. cit.*, exempli cauſa poſita eſt. Hinc locorum conſuetudines in hac quoque re inſpiciendæ.

§. 79.

§. 79. *De Vaſallorum ſervitiis; præcipue de opera militari. Tum de amore, quem Dominus viciſſim debet Vaſallo.*

Ut autem quod ſtrictim, raptimque jam percurrit oratio, clarius diſtinctiuſque explicetur, ea, quæ in fidelitatis jurejurando, etſi ſpecialiter non expreſsa, continentur, hoc loco ſiſtere opportunum duxi. Atque ſex ferme verbis comprehenduntur, & explicantur in *II. F. 6. Incolume*, *tutum*, *honeſtum*, *utile*, *facile*, *poſſibile*. Profecto Vaſalli ſervitium non in una eademque re conſiſtit. Sunt quædam Feudorum genera, quæ certum officium, atque adminiſtrationem conjunctam habent, uti ſunt Feuda *Guardiæ*, *Caſtaldiæ*, *Advocatiæ*, & alia (§.21.). *II. F.* 51. §. *ult.* Sed nullo ſervitio expreſſo, hoc ſaltem ſervitium debere intelligitur Vaſallus, ut juſtitiam Domino faciat. *II. F.* 24. §. *illud tamen*; cujus textus varia ſunt interpretamenta. Præcipuum vero ſervitium in opera militari conſiſtere, audacter affirmo. Nam ipſa Feuda origine ſua, atque uſu frequentiore nonniſi beneficia militaria ſunt (§. 26.). Hinc Vaſallus cogitur Domino bellum habente

congredi; ut eum armis adjuvet. *II. F.* 24., quinimmo & ad bellum ire. Singulare quippe eſt in pupillo (idem de quolibet juſto impedimento affirmare non dubitaverim), ut alius pro eo admittatur. *II. F.* 26. §. *ſi quis deceſſerit*. Verum quandoque Dominus contributione quadam in ſtipendia militum conſcriptorum, ſecundum Feudi quantitatem contentus eſt: eaque contributio varia eſſe ſolet pro regionum, temporumque varietate. V. Cujac, *ad tit.* 107. *Lib. ſui IV. de Feud.*: non tamen excedet Feudi proventus. Clarus §. *Feudum, quæſt.* 21.: alioqui ſumptibus Dominorum militabunt Vaſalli. *c. extraord. antiquatum eſſe*. Erat ea contributio in Theutonica terra tertia fructuum pars; ſcilicet unius anni, quo indicta erat expeditio. *II. F.* 40. §. *ſimiliter*. Poſtea dimidia ex Friderici Conſtitutione *II. F.* 55. §. *firmiter*. Hoc erat militare ſervitium ordinarium, & certum. De extraordinario vide Ludovici Pii Conſtitutionem *Promotionis exercitus*. Prætereo pacis ſervitia, & politica munera, quæ in Galliis olim Feudatarii obire debebant; ac feudales reditus pro mercede erant: adeo ut duplici ſervitio Feudorum poſſeſſores adſtringerentur;

ac

ac Principi multa adigerentur adjutoria præſtare (§. 53.). Verum electio illa vel perſonaliter ſerviendi in bello, vel ſolvendi certam ſummam, nunquam in Regno noſtro permiſſa fuit. Jam vero illa militiæ cauſa præſtanda ſubventio *hoſtenditia* ab *hoſte* vocabatur; etſi præſtari ſoleret nedum, quando adverſus hoſtem eundum erat, ſed & honoris, tutelæque cauſa; ex.gr. ad comitandum Principem, ut Romæ Imperii coronam ſuſciperet. *II.F.*52. §.*ult.* Vaſallus autem ferre in bello ſuppetias Domino tenetur, ſi aperte illud non ſit injuſtum, *II.F.* 28.; ſi Dominus non ſit proſcriptus; *d. loco.* §. *ſed Obertus*; ac ſi bellum non ſit adverſus perſonam in Fidelitatis juramento exceptam. *d. loco* §. *ult.* Quid ſi bellum inferatur fratri, filio, vel patri? Vaſallum etiam debere contra hos ſervire, clare conſtituitur in textu enunciato; qui tamen, ne pietati contrarius videatur, diverſas recepit interpretationes. Animadvertendum hic eſt, ſervitia, de quibus hactenus, & nullo certo tempore includi, & indici a Domino debere; niſi ſtata dies interpellet pro homine, *ex L. magnam C. de contrah. & committ. ſtip.* Qua in re differunt a petitione renova-

tionis inveſtituræ, quemadmodum deinceps dicemus (§.83.). Nunc, ut melius militiæ onus dignoſcatur, adnotandum eſt, Francos, qui Beneficiis primordia conſtituere, equitatu præliari, in honoris ſignum primum, introduxiſſe. Ac Principes magno apparatu cingulo, & inſignibus militaribus nobiles adoleſcentes exornabant; quibus *militum*, *equitumque* nomen, quod generale apud Romanos erat, accommodatum fuit (§.53.*pag.*150.): alii vero, qui etiam equitatu decertabant, dicti fuere *equitantes*, *armigeri*, *miniſteriales*, *domicelli*. V.Ant. Matth. *de Nobil. IV.* 10. Loyſeau *des Seign.* Aubert. Miræi *orig. equeſtr.* M. de Sainte Palaye *memoires de l'ancien. cheval.* Quare apud bellicoſas Gentes nobilitatis pretium in uno belli officio poſitum erat. Hinc diſtinctio inter allodii, & Feudi poſſeſſores. Hinc etiam ſtemmata, ac cognomina familiarum, quæ veterem equitatus honorem portendebant. Murat. *Diſſ.* 53. Borrell. *Vindiciæ Neap. Nobilitatis*. Haſce diſtinctiones Langobardorum gens reſpuit. Quapropter Guntherus *Ligur. Lib. II.* de ea cecinit;

Utque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſit, & armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo (quod Gallia fœdum
Judicat) accingi gladio concedit equeſtri.

Fran-

Francorum morem Carolus Magnus in Italiam invexit: tametſi ſub ipſis Francis quoque fuiſſent ad bella homines mercede conducti, qui non *Milites* audiebant, ſed *ſoldarii*, *ſoldærii*, *ſolidarii*, *ſoldati*; atque penſiones *ſoldatæ* dicebantur, uti in Libris Feudorum. Hotom. *Diſp. de Feud. c.* 5. Apud nos quoque una cum feudis milites Francorum more inducti fuere. Verum Feudatarii omnes tam titulis decorati, quam iis expertes, ipſæque Eccleſiæ Regalia poſſidentes, atque idcirco ad militare ſervitium obſtrictæ, ſubinfeudare ſolebant, ut milites præſtare poſtulanti Regi poſſent. Mercede namque vix ſervitia præſtabantur. Exinde, ut inter Feudatarios diſtinctio quædam eſſet, *Barones* dici cœperunt, qui ſubfeudatarios habebant: nimirum Duces, Marchiones, Comites, & Valvaſores majores. At Valvaſores minores ſimpliciter *Feudatarii* nuncupabantur, vel *Milites* a munere, quod profitebantur; ut alibi a nobis obſervatum eſt (§. 36., & 39.). Apud nos etiam olim militiæ honor ſollemniter conferebatur. De Rogerio Rege videndus eſt Abbas Teleſ. *Lib. IV.*, & Jannon. *tom.* III. *Lib.* 20. Nonnullis ideo placuit proprii allodii ſumptibus in bello ſervire,

ut eum honorem adipiſcerentur. Cum autem in turbidis Regni temporibus plebs inter milites intruſa eſſet, Rogerius in Conſt. ſub titulo *de nova militia* edixit, ſe a militari ſervitio in poſterum eos excluſurum, qui a militibus ſucceſſionis jure non deſcenderent. Ita militaris, ac nobilis ordo hereditarius evaſit, atque a populari diſtinctus. Idipſum recentavit lata lege Fridericus II. Et præterea nobilitas præter militiam inducta. Proinde *milites litterati*, *milites legales*, *milites Juſtitiæ*. Matth. Pariſ. *in ann.* 1251. Pergamus nunc ad alia Vaſalli ſervitia. Tenetur Vaſallus omni amore proſequi, atque amplecti Dominum; eumque juvare, tueri, *II. F.* 24., & 39., ultro quidem, etiam non rogatus *II. F.* 26. §. *licet*, & *II.* 28. §. *ad hoc*. Propterea quod mox diximus, vocari Vaſallum debere a Domino ad bellum, intelligendum, niſi eidem Domino periculum immineat: & quod diximus, illum non cogi in bello injuſto congredi, intelligendum de offenſione, non vero de Domini ſui defenſione. Quare Vaſallus deſerere Dominum nequit in acie periclitantem, vel vim etiam privatam patientem. *I. F.* 5. §. 1. *II.*

24.

24. & 57. At non cogi Vaſallum vitam Domini ſuæ anteponere, pervulgata opinio eſt; quæ mihi parum arridet. Ratio in promptu eſt;quia miles ex acie fugiens, ſuamque deſerens ſtationem, graviter delinquit. *L.* 3. §. *qui ſtationis*; & *L. omne delictum*. §. *qui in acie*. *ff. de re militari*. Vaſallus inſuper arcana Domini non pandat; *I. F.* 17., & *II. F.* 6.; non accuſet; neque in eum dicat teſtimonium. *II. F.* 24., & 33., maxime in cauſa criminali: non enim cogitur invitus ferre teſtimonium de crimine, qui arcte conjunctus eſt. *L.* 1. *ff. de public. Judic.* Excipe crimen Majeſtatis, in quo etiam domeſticorum accuſator recipitur. *L. ſi quis C. de his, qui accuſare non poſſ.* Caveat Vaſallus ab inſidiis, ne inimicus videatur, *II. F.* 55., & 57. Caveat, ne turpi luſu jocetur cum Domini uxore, filia, nepte, nuru, aliave perſona domi ejus degente. *I. F.* 5. §. *item ſi*. *II. F.* 97. Caveat denique, ne ullam actionem, vel exceptionem adverſus Dominum proponat, quæ doli mentionem contineat. *II. F.* 33. Nam debet non ſolum amorem, ſed & reverentiam, liberti exemplo; etſi majus ſit datæ libertatis beneficium. Num, uti libertus Patronum ob *L. alimenta ff.*

de agnoſc. lib., ita egentem Dominum Vaſallus alere, & exhibere tenetur? Negant vulgo. Melius affirmandum, ſi Feudi reditus id ferant. Clarus §. *Feudum*, *quæſt.* 33. *Facit II. F.* 58. Verum non eſt par ratio alimentorum, & æris alieni, *arg. L. ſi quis a liberis*. §. *parens*. *ff. de lib. agnoſc. II. F.* 26. §. *licet*. Si tamen Dominus carcere incluſus maceſcat, juxta Feudi vires Vaſallus quoque opem ei præbere teneretur. Interim fidelitas Vaſalli vicem amoris Domini meretur; etſi ceſſet in Domino beneficii cauſa. Proinde officia, quæ ex amore proficiſcuntur, Dominus quoque præſtare debet; non vero quæ ad reverentiam ſpectant. Calumniæ juramentum, licet remiſſum parentibus, ac patronis ſit ob honorem iis debitum, *L.* 2. *L. licet*. *L. liberto ff. de obſequiis parent.*; *& patron. præſtand.*, a Domino tamen exigi poteſt. Nam in Feudorum volumine declaratum eſt, parem eſſe rationem Domini, ac Vaſalli, quoad hoc juramenti genus, *II. F.* 33. §. *in quibus etiam*. At Dominus ad militarem operam non obligatur. Hæc enim non tam ex vinculo amoris, quam ex lege Vaſallo in Inveſtitura expreſſe, vel tacite dicta, & ex cauſa dati Feudi manat. Ad-

hæc

hæc quemadmodum Vaſallus alienare Feudum nequit, ut Feudi munera commode obire queat, qua de re inferius, ita non poſſe Dominum jus ſuum alienare, deciſum eſt; *uti ex Conſtit. Conradi Imp. de Beneficiis*, quæ extat apud Cujac. *Lib. V. de Feud. Conſt.* 1., ejuſque mentio fit II. *F.* 9. §. *ult.*: idipſum etiam patet ex *Conſt. Imp. Friderici*, II. *F.* 55. Nec Dominum oppignerare jus ſuum poſſe, videtur contra Hotomanum *ad II. F.* 34. §. *ex eadem*. Pignus quippe ad alienationem tendit, atque alienationis vocabulo comprehendi ſolet. *L. ult. C. de reb. ali. non alien.* Et licet concedatur, licitam eſſe juris, quod Dominus in Vaſallum habet, alienationem una cum Curia, ideſt cum Caſtro, Territorio, ſeu Univerſitate Feudi dominantis; ſæpe enim, quæ ſeorſim transferri non poſſunt, per univerſitatem tranſeunt, *L.* 1. *ff. de fundo dotali. c. ex literis. de Jure patron.*; Vaſallus tamen non compellitur pro uno plures Dominos habere; ac diviſo Feudo dominante, unica fidelitas debetur. II. *F.* 55. §. *præterea Ducatus*. At jus, quod Dominus in Vaſallum habet, nonniſi expreſſe transferri poteſt. II. *F.* 26. §. *in generali*; & *tit.* 51. Ex quibus intelli-

ligitur, quam firma, & indiſſolubilis fuerit Langobardico Jure Dominum inter, ac Vaſallum conjunctio.

§. 80. *Inveſtitura & per procuratorem expediri poteſt.*

Cum autem ſuperius (§. 78.) dictum ſit, hominii ritus partim in reverentia conſiſtere, juſta dubitandi cauſa eſt, an is actus fieri per Procuratorem poſſit? Jure Romano nemo alieno nomine lege agere, hoc eſt, actus legitimos exercere poteſt, *L.* 165. *ff. de R. J.*: tum ſi Procurator juraverit, aget ſuo nomine, ut ait Ulpianus *L.* 29. §. *interdum ff. de Procur.* Sed id Jure Feudorum repudiatum eſt; adeout inveſtitura & per nuntium, ſeu procuratorem ab utraque parte expediri poſſit, *II. F.* 3. §. *ſed utrum*; & *II. F.* 58. §. *item inveſtitus*. Hinc vulgaris ſententia eſt, Vaſalli juramentum per alium præſtari poſſe; ſcilicet per eum, qui ſpeciale mandatum habeat. In alia omnia ivit Baldus *ad L.* 1. *ff. de rerum diviſ.*, cum ſcripſit, juramentum illud habere quamdam reverentiam adnexam, quæ perſonaliter exhibenda eſt. Verum, ut ut valeat

leat actus, qui per Procuratorem celebratus eſt, ſi tamen Dominus (nimirum immediate proximus *II. F.* 55. §. *illud*, quia huic ſervitia præſtantur, & ad eum ex felonia Feudum redit. Fachin. *Controv. VII.* 53.) quadam ex cauſa eum honorem a perſona Vaſalli præſtari jubeat, hic, ni ingratus haberi velit, præſtare tenetur: modo morbus, ævitas, vel alia cauſa juſtam non præbeat excuſationem. Struv. *cap.* 8. *th.* 7. *n.* 5. Ceterum olim, ut de Regno Franciæ teſtatur Hotomanus *de Feud. cap.* 13., ipſe Vaſallus jurare cogebatur. Idipſum in Regno noſtro retineri, obſervat Freccia *de ſubfeud. Lib. II.*, quoties Dominus Vaſalli præſentiam poſtulet. Sed interdum aliter, quam per procuratorem fidelitas jurari nequit; ut puta, ſi Civitas, Collegium; vel aliud corpus Feudum accipiat. *Duaren. de J. Feud. c.* 13. Tandem nemo jurat pro eo, qui minor natu eſt. *II. F.* 26.

§. 81. *Tum pure, & ſub conditione. Hinc Feudi expectativa.*

Sub conditione, vel ex die, vel ad diem inveſtituram fieri non poſſe, juris ratio

ratio ſuadere videtur, cum ſit actus legitimus (§. 72.) *L. actus legitimi ff. de R. J.* Sed in Jure Feudorum ſecus eſt. Dominus enim poteſt quocumque modo Feudum concedere. Quare *I. F.* 3. ſpecies proponitur, qua Feudum conceſſum fuit ſub conditione, ſi Vaſallus deceſſerit; quod idem eſt, ac ſi Feudum heredibus illius fuiſſet conceſſum. Nam Vaſalli mors expectari debet. Atque conditionalis iſthæc inveſtitura, quæ *ſuperinfeudatio*, ſeu *expectativa* quoque dicitur, conſiſtit tam in ſpecie, ſi Vaſallus jam poſſidens, jure ſuo exciderit; quam in caſum mortis, ſi deceſſerit ſine herede feudali. I. *F.* 3., quia utraque ſpecie Feudum ad Dominum revertitur. II. *F.* 26. §. *moribus*. Species autem expreſſa non expreſſam non continet; quia conditiones ſpecifice adimplendæ ſunt. Videri poſſet injuſta hujuſcemodi conceſſio ob captandæ mortis votum. Verum cum etiam de re aliena pactum ſubſiſtat in caſum, ſi illa mea futura ſit; & captandæ mortis vitium, non ex inveſtituræ vitio, ſed perſonæ reſultet, ea juſta dici poterit. Quod ſi pure quis de Feudo viventis Vaſalli inveſtiatur, inveſtitura prorſus non valet, ne quidem poſt Vaſalli

ſalli mortem effectum conſecutura: ab initio namque vitioſa eſt, *arg. L.* 29. *ff. de R. J.*; niſi forte inveſtientis Domini mens in futurum directa videatur. Struv. *cap.* 7. *th.* 5. Quod ſi pluribus expectativa conceſſa ſit, & nemo poſſideat, prior promiſſio potius tribuit jus: ſed Dominus reliquis ad intereſſe tenetur, *II. F.* 7. *in fin.*, niſi hi aliis jam conceſſam fuiſſe inveſtituram ſciverint, *II. F.*8. *pr.*; tunc enim actione doli tenentur. Et quia expectativam habens, jus ſaltem in perſonam conſequitur, non in rem; idcirco ſi forte Dominus Feudi alienaverit, rem alienatam ille revocare nequit. Expectativa denique ad heredes tranſit, *II. F.* 9., quia ſe habet ad inſtar contractus. Quin ad heredes tranſit, ſi legata fuerit. *I. F.* 1. Similis ſpecies eſt in *L.* 1. §. 3. *ff. de C. & D.*

§. 82. *Inveſtitura ſimultanea.*

Tripliciter ſimultaneam inveſtituram fieri poſſe Jure Feudali communi, nemo unus inficias iverit. Primo, ſi duo inveſtiantur, ut ſimul actu Feudum habeant, *II. F.* 12., & 18. Secundo, ſi in Feudo novo per inveſtituræ pactum fratri ſucceſ-

ceſſio deferatur. *I. F.* 1. §. 2., *&* *II. F.* 12. Tertio, ſi conſentiente Vaſallo, alius de eodem Feudo inveſtiatur, ac in poſſeſſionem mittatur. *I. F.* 3. *verſ. niſi ille*.

§. 83. *Tempus ad petendam inveſtituram præfinitum*.

In nova inveſtitura petenda nullum tempus eſt ſtatutum. Alvarot. *in tit.* 2. *Lib. II.* Sed Dominus debet Vaſallum monere, ut eam accipiat; & ſi iſte ter monitus recuſaverit, tamquam ignarus amittit Feudum, *uti in tit.* 24. In Feudo autem antiquo Vaſallus intra annum, & diem poſt devolutionem Feudi, petere inveſtituram tenetur. *II. F.* 50., Cur intra annum, & menſem dicitur *I. F.* 22.? Longius hoc ſpatium militi ex privilegio conceſſum, nonnulli putant; arctius illud Pagano. Ita Weſembec. *cap.* 8. *de Feud.* Diſſentiunt Hotomanus, Cujacius, & Petrus Faber in *L. cum alio ff. de R. J.* In Jure enim Feudali non recte diſtinguitur inter Vaſallum militem, & paganum: cum unuſquiſque miles ſit; & Feudum ob militiæ onus detur. Proinde ſæpiſſime tam in Feudorum Libris, quam in noſtri Regni Conſtitutio-

ni-

nibus *miles* ſimpliciter Feudatarium denotat. Vero ſimilius eſt, in dicto *tit.* 22. pro *menſem* legendum *diem*. Adjectum diem Giphanius putat ad veterem controverſiam præcidendam; an dies termini in termino computetur. Hoc autem præfinitum tempus utile eſſe debet. Excuſatur ideo Vaſallus propter ignorantiam rei Feudalis, *II.F.* 26., & propter infantiam. *I.F.* 22. Moribus tamen receptum eſt, tutores, curatoreſve inveſtituram petere. At illis, qui infantiam exceſſerunt, reſtitutio in integrum competit. Excuſatur quoque Vaſallus, ſi morbo fuerit detentus; aut ſi Dominum ſine periculo adire non poſſit; puta contagioſo morbo ingruente, aut incurſante bello. Tempore autem ad inveſtituram petendam elapſo, in Feudatarium, qui eam non petiit, de Jure communi ſtatuta eſt pœna privationis Feudi, *II. F.*40. De Jure Regni, ut refert Freccia *de ſubfeud. Lib.*II., ſolvitur duplex relevium; modo Vaſallus per Curiam admonitus, poſt ſtatum tempus inveſtituram accipiat: nam ſi id propria voluntate fecerit, ſimplex ſolvet relevium.

§. 84. *Inveſtito vacua poſſeſſio præciſe tradenda.*

Facta inveſtitura, & fidelitate ſubſecuta, Dominus tradere Vaſallo debet poſſeſſionem Feudi, *I. F.* 4., & *II. F.* 7. §. *ult.*, ut hic qua re ſigno, & civili ritu inveſtitus eſt, eâdem vere, & naturaliter quoque inveſtiatur. Non quia poſſeſſio ad Feudum conſtituendum, & adquirendum ſit neceſſaria, ſed quia inter partes dominii eſt jus tenendæ, fruendæque rei; & qui illud habet, poſſeſſionem quoque conſequi ſuo jure debet. Donellus *Comm. Jur. Civ. IX.* 9. Plane civilis Inveſtitura Vaſallum facit dominum, non poſſeſſorem. Symbolo quidem transferri poteſt rei abſentis poſſeſſio, quæ licet facti ſit, plurimum tamen ex Jure mutuatur. *L. poſſeſſio* 49. *ff. de adquir. poſſeſſ.* (§. 73., & 76.). At feudali inveſtituræ tributa non eſt hæc vis poſſeſſionis transferendæ. Qua in re non videtur abſimilis ab inſtitutione, ſeu inveſtitura, quæ fit de Beneficiis Eccleſiaſticis. *c. per tuas. de donationib.*, *c. ex ore. de iis, quæ fiunt a majore parte Capituli*. Poteſt & ſimul cum inveſtitura transferri poſſeſſio, ſi fiat feudi

di præſentis, aut vicini, quod demonſtretur, neque obex ſit ad illud ingrediendum, *ob L.* 1. *§. pen. & L. quod meo, §. ſi venditorem, ff. de adquir. poſſeſſ.* Sed non ſufficit, nudam rei detentionem inveſtito dare: tradenda ei eſt vacua poſſeſſio. *II. F.* 7. *§. ult.*, quam ſcilicet nec naturaliter, nec civiliter alius retineat. Si Dominus, qui inveſtivit, moras nectat, poſſeſſionemque tradere differat, cogetur Vaſallo omnem utilitatem præſtare, *d. loco*; ideſt quanti intereſt; exemplo venditionis, *L. ſi ſterilis §. cum per venditorem ff. de act. emt.* V. Donellum *Comm. XXVI.* 23. Re vero tradita, & evicta, competit Vaſallo eo nomine actio contra Dominum, *II. F.*8. (ſed non ad duplam; quæ etiam Jure Romano in venditione promittebatur, ſed ubi id conſuetudinis erat, *L. ſi fundus ff. de evict.*). Non enim videtur tradita poſſeſſio, ſi quis eam jure avocaverit, *L.* 3. *ff. de act. emt.* Et *vacuam poſſeſſionem tradi*, non deſignat nudum factum, ſed & cauſam bonorum; nempe ut res in bonis retineatur, *L. in conventionalibus* 52. §.1. *ff. de V. O.*: proinde eſt dividuum petitione, & ſolutione. V. noſtrum Dominicum Auliſium *in tract. de*

Verb. Oblig. Igitur omnino Dominus tenetur ad poſſeſſionem tradendam; nec liberatur præſtando id , quod intereſt . *II. F. 26. §. ſi facta*. Vulgaris ratio eſt , quia Martini potius , quam Bulgari , ſimilis opinio probabilior viſa eſt circa venditionem , de qua ambigebatur olim. *DD. in L. 1. ff. eod.* Quoniam vero ex peracta Inveſtituræ ſollemnitate dominium utile transferri diximus, melior ratio videtur, inveſtito competere reivindicationem; neque abſolvi, qui actione iſta pulſatus, offert id quod intereſt. *L. qui reſtituere, ff. de rei vindic.* Pretium autem, atque æſtimatio dari debet, ſi res nequeat præſtari, vel deterior facta ſit, *L. non ſolum. eod.*, vel aliud interſit actoris ob moram, factumve adverſarii; puta ſi res aliena ſit. Cujac. *ad tit.* 1. §. *ſi vero Archiepiſcopus. Lib. ſuo* I. *de Feud.* Quomodo autem res feudalis æſtimanda, tradunt ex variis circumſtantiis Pragmatici omnes. Hic opportunum eſt vulgarem opinionem in medium proferre , quod ſi duo abuſivam inveſtituram habuerint , alter etiam rei poſſeſſionem, hic præferendus ſit; ille ad id, quod ſua intereſt, agat. Hoc tueri conantur, qui naturali demum traditione

in

in Vaſallum utile dominium tranſire exiſtimant; eoſque refert Fachinæus *Controv. VII*.32.: ſemper enim cauſa dominii præponderat. *L. fideicommiſſorum ff. ut in poſſeſſionem legatorum*. Qui vero in contraria ſententia ſunt, melius putant, eum, qui prius inveſtitus eſt (nam utile nactus eſt dominium), Feudum obtenturum; poſſeſſionemque ab altero avocaturum. Nam ratio Juris non patitur, duos eſſe ejusdem rei dominos eodem dominii genere, *L.* 1. §. *ſi duobus ff. commodati*. *l. F.* 3. Nec obſtat *L. quoties C. de reivind.*, ex qua præfertur is, cui prius tradita res eſt: quoniam de ſpecie loquitur, cum dominium nonniſi per traditionem adquireretur.

§. 85. *Inveſtitura nobilis, ac ignobilis quæ ſit; præcipue quæ ſit a Baronibus in perſona ſubfeudatariorum. Obiter de excadentialibus, & demanialibus Feudi*.

Inveſtituræ finis ſervitium erat, quod promittebatur; idque vel nobile, vel ignobile. Qui nobiliter de quodam fundo inveſtitus erat, promittebat conſilium, defenſionem in vita, honore, fortuniſque; ac ita conceden-

tis *homo* fiebat. Hæc inveſtitura *beneficialis* dicebatur, cum temporaria fuit; *feudalis*, cum hereditaria evaſit. At ignobiliter inveſtitus, fundi culturam ſpondebat, annuamque præſtationem, ſive in pecunia, ſive in alia re, ſive denique in quodam ignobili perſonæ ſervitio; ac fiebat homo tributarius, & quaſi ſervilis conditionis: ac terræ ita conceſſæ *tributariæ* apud Langobardos audiebant. Hæc Inveſtitura *libellaria* appellabatur; ab emphyteuſi diverſa: nam is, cui fundus ex illa concedebatur, concedentis *homo proprius fiebat*; fundi faciem mutare poterat, & ob cenſum non ſolutum rem amittebat. V. Cangium *v. ſocagium*, & *ſoca*. Quapropter ii, qui nullam fidelitatem jurabant, atque ignobile tantum ſervitium promittebant, Feudatarii dicendi non ſunt; nec Feuda appellanda prædia illis libellari jure conceſſa, in quibus perinde ſuccedebatur, ac in allodiis. Proinde hujuſmodi ignobiles conceſſiones ſub annua præſtatione, etſi fierent à Feudatariis de Feudorum pertinentiis (quæ *attenesiæ* barbare dicebantur), Regis aſſenſu non indigebant ante Fridericum II., qui Conſtitutione *Conſtitutionem divæ memoriæ* Baronibus tantum indulſit, inconſulto Re-

Rege, eos feudales fundos denuo concedere, qui alias conceſſi, in eorum manibus reciderent. Hinc *excadentiæ* dicti. Capan. *de jure adohæ. qu.7.* Hodie vulgo apud Doctores noſtros *excadentialia* in Feudis denotant res prorſus ſteriles, & inutiles, quæ per Barones facile, & ſine ullo Feudi, vel ſuo detrimento concedi ſine Regis aſſenſu poſſunt. Yſern. *in cap.* 1. §. *fin. tit. an ille, qui interfecit fratrem Domini ſui*, ubi refert, id contineri in Regeſtu Imp. Friderici. Ea vero dari debere ob quamdam fructuum partem aſſerunt, non ob pecuniam. Nam hæc ſi ſemel ſolvatur, eſſet emtio venditio, quæ in rebus Feudalibus prohibita eſt; ſin paciſcatur, ut quotannis certa ſumma præſtetur, inconveniens prorſus eſſet: nam fructus forent incerti; certa autem ſingulis annis præſtatio. Semel itaque excadentialia conceſſa, ſi ad Baronem denuo redeant, poſſunt iterum aliis ſine aſſenſu concedi, etiamſi exculta, & frugifera reddita fuerint; *uti in d. Conſt.*, niſi fuiſſent aperta Baroni, & ab eo per annos 30., uti demanialia retenta: tunc enim in nova conceſſione aſſenſus requireretur. Yſern. *in Conſt. dignum*. Tum *demanialia*, cum ſint res parum utiles, incultæ,

& nemoroſæ, concedi aliis quoque poſſunt a Barone, ſine Regis aſſenſu. In eo autem differunt ab excadentialibus, quod hæc ad culturam redacta, poſſint, cum caſus acciderit, ſine Regio aſſenſu concedi: non item demanialia; niſi & hæc longo temporis curſu excadentialia evadant; quod fieri nequit, niſi centenaria intercesſerit præſcriptio: quæ rerum diſtinctio fugit Marinum Freccia, virum alioquin diligentiſſimum. V. Jo. Baptiſt. Bilocta *Concluſ. Feud.* 10. Interim illuc revertamur. Regni Barones, atque Eccleſiæ Feuda poſſidentes, cum militibus indigerent, ut promiſſis Regi ſervitiis, pro eorum quiſque rata, ſtare poſſent, nobiliter ideo alios inveſtire ſolebant ſub militiæ onere. Quod ſi inveſtiebant de fundo incolis non deſtituto, Regis aſſenſu opus erat; quia Rex perſonarum Dominus. Et quoniam hoſce ſubfeudatarios, in Dohanæ libris deſcriptos, Rex pro rata ſervitii recognoſcebat, eorum ſubfeuda *quaternata ſecundum quid* audiunt: non enim *in capite Curiæ*, ſed *ab alio tenentur*. Revera eorum quiſque unum militem præſtabat pro ſingulis 20. unciis annui reditus, vel decem uncias cum dimidia; non ſecus ac Feudatarii *in capi-*

te

te Curiæ. Aſflict. in *Conſt. ut de ſucceſſionibus*. Yſern. *in Conſt. Juſtitiarii nomen*. Capyc. *Inveſt. Feud. v. quaternatum*. (§.3. *pag. 6.*). Immo ſubfeuda hominibus habitata, pro ſcriptis habebanrur, ob jus regale iis adnexum. Proinde ab antiquis uſque temporibus in Regno noſtro Feuda, & ſubfeuda omnia cum ſubditis *quaternata* exiſtimantur. Freccia *Lib. II. Differ. Feudi plani*, & *quater. Diff. 26. n.* 34. Pecchia. *Diſſ. II.* §. 21. Quid ſi Barones prædium ſine ſubditis in Feudum concederent ſub militari ſervitio? Et vero ſi ſtipulabantur ordinarium ſervitium trium menſium pro ſingulis 40. unciis, opus erat aſſenſu, & regeſtatione in quaternionibus; & *quaternata ſecundum quid* etiam dicebantur; ac principalis Feudatarius hac oneris parte relevabatur: ſin minus ſervitium inter partes paciſcebatur, aſſenſus, atque regeſtatio abeſſe poterat, ante laudatam Conſtitutionem *Conſtitutionem Divæ memoriæ*, qua Fridericus, ut dictum eſt, novas inhibuit conceſſiones; & antiqua tantum ſubfeuda, inconſulto Rege, denuo concedere permiſit; modo ſervitium non minueretur. Præterea Feuda, & ſubfeuda *plana* audiebant, quæ inhoſpita, & ſub militari ſervitio con-

concedebantur; eaque Caſtris oppoſuit Fridericus, quæ terræ habitatæ erant: *ſive ſit Caſtrum, ſive terra plana* in *Conſt. poſt mortem Baronis*. Quod ſi concederentur ſub nexu ſervitii ordinarii (quod erat medietas ſervitii eorum, qui Caſtra poſſidebant: his enim adjutorii jus erat), in quaternionibus deſcribebantur; erantque vel *in capite Curiæ*, ſi concedebantur a Rege, vel *quaternata ſecundum quid*, ſi a Baronibus, aut Eccleſiis Feudatariis. Ubi vero ſervitium militare minus ordinario paciſcebatur, ea feuda in *tabula Feudorum*, non in quaternionibus deſcribebantur; eorumque poſſeſſores, tamquam Valvaſini erant, & veluti inter milites, ac non milites gradum medium obtinebant. Nobiles ideo non exiſtimabantur, uti erant, qui ſolidum militare ſervitium præſtabant; cum nobilitas olim in Regno ex militari ſervitio manaret. Hæc, quæ diximus, habet quoque laudatus Carolus Pecchia *in ſuis Diſſertationibus*.

§. 86.

§. 86. *Feudorum Regni Neapolitani inveſtitura quomodo fiat.*

Jure Regni noſtri ſymbolica illa inveſtitura recepta non eſt (§.73. *in fin.*). Sub ipſis Nortmannis ſolum Regis privilegium, nempe breve teſtatum, in Feudorum conceſſione adhibitum eſt. Friderici II. Conſtitutio *dignum III.4.*, de qua antea diximus, argumento eſſe poteſt. Statuit enim Rex, neminem Civitates, Caſalia, & Villas, vel aliud quid Regii Domanii retinere potuiſſe, *niſi habeat privilegium divorum Regum Rogerii, & Guilelmi I. & II. prædeceſſorum noſtrorum ... ex certa ſcientia noſtra* (tempus abſentiæ ſuæ fortaſſe ſpectavit) *confirmatum*. At enim plerumque Comites ſymbolis inveſtiebant Prælatos, ſuosque Barones. V. Ughell. *tom. VII.* & Fazel. *Rer. Sic. II.* 1. Carolus I. deinceps uſus eſt formula *per annulum noſtrum inveſtimus* : in cujus locum *aſſecuratio* ſucceſſit. Hinc Baro poſtquam privilegium feudalis conceſſionis a Rege habuit, ligium fidelitatis juramentum ei præſtat, de quo *II. F. 7.* Poſtea vel Regis mandato, vel auctoritate ſua, Feudi poſſeſſionem capit,

quæ

quæ realis inveſtitura nuncupari ſolet; & poſſeſſione capta, Rex litteras aſſecurationis concedit. Montanus in *II. F.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus*. *n.* 39. Deinceps Baro ipſe juramentum fidelitatis a ſubditis exigit, *II. F.* 5. Capyc. in *II. F.* 55.: atque poſt ejus obitum, ſucceſſor vetere inveſtitura non indiget, uti erat in Langobardorum Jure, ſed ejus loco præbentur litteræ, ſeu diploma aſſecurationis; modo antea hominium præſtiterit; aliter a ſubditis ſacramentum fidelitatis recipere nequit. Conſt. *Comite, vel Barone III.* 34. Sin Baro vendere, aliove modo alienare velit Feudum, Regis conſenſu opus eſt, qui in emtoris perſona vim privilegii habet, atque inveſtituræ. Mox emtor fidelitatis jusjurandum præſtat, litterasque poſtea aſſecurationis habet. Ideo noſtrates ajunt, aſſenſum habere vim inveſtituræ. Roſa *conſul.* 14. *n.* 45. Rovit. *ad Pragm.* 33. *de Feud.*

CA-

CAP. III.

DE PRÆSCRIPTIONE FEUDI.

§. 87. *Quotupliciter præſcriptio in Feudis locum habere poſſit.*

ALterum adquirendi Feudi modum præſcriptionem eſſe, jam tradidi ex II. *F.* 26. §. *ſi quis per triginta.* (§. 70.) Tres autem hac in re ſpecies diſtinguendas eſſe puto: aut enim agitur de jam conſtituto Feudo a tertio præſcribendo; ita ut maneat Feudum: aut de Feudo ita præſcribendo, ut fiat allodium: aut denique de allodio ita præſcribendo, ut fiat Feudum. Et primo, cum omnis præſcriptio tacitæ alienationi innitatur, tacitus illorum conſenſus requiritur, qui alias expreſſe in alienatione conſentire deberent. Proinde præſcriptio vivente Vaſallo completa (etiam utilis dominii a Domino), agnatis minime nocet: niſi hi, poſtquam ad eos ſucceſſio Feudi eſt devoluta, itidem per legitimum tempus tacuerint: antea enim non valuerunt agere. *L.* 1. *C. de annal. except.* Stryk *Ex. J. Feud.*

Feud. cap. 11. *princ.*, & *quæſt.* 22.; vel niſi heredes extiterint, adeo quidem, ut defuncti factum præſtare tenerentur. Rothius *in Pand.Feud.cap.*11.*quæſt.*22.Secundo Vaſallus rem allodialem eſſe exiſtimans, Domino ſervitia petenti ea negat; quo modo rem per 30. annos libere poſſidet: atque ita dominium directum præſcribit; ſicuti & Dominus utile dominium præſcribere poteſt. Sane libertatem rei hac in ſpecie a Vaſallo præſcribi poſſe, ex Galliæ conſuetudine tuetur Duarenus; cum omne jus ex temporis diuturnitate amitti poſſit: ac ſibi imputare debeat Dominus, qui tempore a lege præſcripto jus ſuum proſequutus non eſt: quicquid in contrarium ſcripſerit Giphanius *in d.tit.*26. §.*licet*. Idipſum ſervandum in Regno noſtro, modo præſcriptio fuerit immemorabilis, ideſt, cujus initium ignoretur; uti vulgo adſignari ſolet centenaria, quæ ſola ad præſcribendum etiam Feudum cenſetur idonea. Secus enim intra centum annos, uti jura Fiſcalia vindicari poſſunt, ita dominium directum. Poſtremo præſcriptione Feudum adquiritur, cum quis per 30. annos rem alienam poſſederit tamquam Feudum, præſtans, vel exhibens ſervi-

vitium tamquam Vaſallus, alteri, cujus res erat; quamvis poſtea probare non poſſit, eam rem in Feudum fuiſſe conceſſam. Et in Feudis præſcriprio conſideratur vel ratione Vaſalli, ſi hoc modo, quo dictum eſt, utile is præſcripſerit dominium; vel ratione Domini, ſi hic in re aliena dominium directum præſcripſerit. Ita inter alios cenſet idem Duarenus. Tametſi in Feudali Jure expreſſum non ſit, ut per 30. annos directum dominium adquiratur. Jam dictæ regulæ, Feudum per præſcriptionem adquiri poſſe, obſtare videtur §. *ſi quis deceſſerit II. F. 26.*, ubi dicitur, anni ſilentium eſſe ad Feudum adquirendum ſatis. At eo loco ſpecies refertur, ob quam alienatio, vel refutatio fiat, ſciente Domino, vel agnato. Aliud eſt in præſcriptione, in qua Feudum non alienatur, ſed tantum poſſeſſione adquiritur Vaſallo, & in eo Dominus damnum non patitur. Videtur etiam obſtare, quod a Lothario, & Friderico Imperatoribus ſtatuitur *II. F.* 52. & 55., nullius temporis præſcriptione Feudum adquiri. At in iis locis ſermo eſt de Feudi alienatione a Vaſallo facta ſine conſenſu Domini. Tunc enim Dominus alienatum Feudum poteſt, nulla obſtante

præ-

præſcriptione, vindicare. Id quidem concinit naturæ Feudi, quod cum certæ perſonæ, ejuſque deſcendentibus ex corpore concedatur, nefas eſt, ignorante Domino, in perſonam ignotam, & quandoque ſuſpectam, per alienationem tranſire. Has, aliaſque objectiones diluit Hubertus Giphanius *in Antinomiis Juris Feud. Diſp. VI.*

§. 88. *Ut Feudum præſcriptione adquiratur, requiritur rei, tamquam feudalis, continuata poſſeſſio.*

Ad hoc igitur, ut Vaſallus præſcriptione Feudum adquirat, debet rem quaſi feudalem, quam ex juſta, vel probabili cauſa talem eſſe credit, poſſidere. Quare id non obtinet, ſi uti propriam poſſideat, cum qualitas feudalis ceſſet. Cujac. *de Feud. l. tit.* 31. Nec obtinet, ſi poſſideat, uti pignus. Nam juri reluendi nullo tempore præſcribitur, *L.* 10. *C. de pign. act.*: cum non tam jus ſit, quam facultas debitoris; &, quo minus ea utatur quandocumque velit, nulla ratione impediri poteſt. Præterquamquod creditor debitori, non ſibi poſſidet: adeout ſibi poſſeſſionis cauſam mutare

tare nequeat. *L.* 2., *L.* 7. §. *ult.* C. *de præſcript.* 30., *vel* 40. *ann.* Objici poteſt, omne jus præſcriptione 40. annorum tolli, *L. omnes C. eod.*, ac proinde jus luendi pignoris. Verum id de actionis, non luitionis jure accipi debet. Cujac. *in l. pignori ff. de uſucap.* Ac luitionem pignoris non tam jus, quam facultatem eſſe, ſcribit Hattyſer. *in Anal. J. Feud. c.* 7. V. Arnold. Corvin. *J. Feud. Lib.* 2. *tit.* 2. Inſuper poſseſſio in Feudi præſcriptione continua eſſe debet, ob particulam *per* in *II. F.* 16. §. *ſi quis per* 30. Attamen defuncti poſſeſſio etiam ſucceſſori prodeſt, modo hic inveſtituram petierit, *I. F.* 24: alias a ſua perſona 30. annorum curſus incipiet. Nam ſine inveſtitura poſſeſſio feudalis minime continuatur.

§. 89. *Tempus legitimum.*

Tempus vero poſſeſſionis 30. annorum in præſcriptione Langobardos agnoviſſe, ſcribit inter alios Struvius *cap.* 8. *th.* 12; idque patet ex *Lib. II. LL. Langob. tit.* 35. *L.* 4.5.6., & 11. V. Otton. *Præfat. Theſaur. tom. V.*: adeout in aliis quoque Juris Feudalis textibus Langobardicis præſcriptionem

longi temporis ita accipiendam eſſe, vulgo ſtatuant. Vultej. *cap.9. n.5.*. Nec ſufficere, ajunt, annos 10, vel 20, quibus alias præſcriptio de Jure communi procedit: cum rerum feudalium præſcriptio durior ſit, ac majoris præjudicii, quam allodialium. Multæ enim ſunt reciprocæ Domini, Vaſallique obligationes. Tametſi non deſit, qui præſcriptionem hac in re 10, vel 20 annorum quandoque admittat. (§.72. *pag.* 246.). Porro quadragenariam præſcriptionem in Feudo Eccleſiaſtico Doctores requirunt *ob Nov.*111., *&* 113., ubi eam præſcriptionem in rebus Eccleſiæ locum habere ſtatuitur: *cap.* 8. *de præſcript*: nec aliter in Jure Feudali ſcriptum eſt. Zaſ. *par. 6.* Mynſ. *cent.* 4. *obſ.* 49., ſublata *L.* 13. *C. de SS. Eccleſ.*, *&* *Nov.*9., quarum una in Orientalibus, altera in Occidentalibus Eccleſiis centum annorum præſcriptionem introduxerat. Cujac. *obſ. V.* 5. Verum magis mihi placet diſtinguere inter præſcriptionem rei Eccleſiaſticæ, qua talis, & qua feudalis. In illa curſus 40 annorum neceſſarius omnino eſt, quia perpetuo res Eccleſiæ aufertur. In hac non videtur neceſſario elabi 40 annos oportere: id quod ex eo potiſſimum licet evincere,

cere, quod proprietas Eccleſiæ ſalva maneat; & præterea ad eam utilitas quoque, finito Feudo, redire poſſit. Cum autem idem temporis ſpatium ad res Civitatis præſcribendas exigatur *L. ult. C. de SS. Eccleſ.*, communis ſententia eſt, idem ſpatium requiri ad res ejus per præſcriptionem, uti Feudum, nanciſcendas. Tempus vero a ſervitiis præſtitis, vel exhibitis computatur. Roſenthal. *cap. 6. concl.* 78.

§. 90. *Bona fides.*

Civili Jure tricennii præſcriptio bonam fidem non poſcit. *L.* 8. §. 1. *C. de præſcript.* 30 *ann.* At hodie ex Eccleſiaſtico Jure illa in omni præſcriptione requiritur. *cap. fin.* X *de præſcript.* Quamquam tanti temporis lapſu bona fides præſumatur; ut propterea malam fidem alleganti probationis onus incumbat. Struv. *c.* 8. *th.* 2. *n.* 3.

§. 91. *Servitii præſtatio, vel ſaltem exhibitio.*

Tum ſervitii ſaltem exhibitio requiritur, ut de animo conſtet poſſidendi rem, ceu feudalem, utque id Dominus ſciat;

ne ei Vaſallus invito obtrudatur. Hoc patet ex verbo *exhibuerit d. loc. Feud.* Etſi enim *II. F.* 33. nominatim de præſtito, & recepto ſervitio mentio fiat; ſatis tamen eſt, Vaſallum illud obtuliſſe, & ſic non fuiſſe in mora; ac ſibi imputet Dominus, ſi illud, ut debet, non exegerit. Hotoman. *in I. F. 26.* Exhibitionem autem ſemel ſaltem intra 30 annos factam eſſe ſufficit: modo Vaſallus in mora non fuerit, quo minus exhibita ſervitia ſimul etiam præſtaret; & modo Dominus iis exhibitis non contradixerit.

§. 92. *Titulus.*

Titulus ad Feudi præſcriptionem non eſt neceſſarius. Patientia enim Domini poſſeſſionem non adimentis, ſed admittentis ſervitia, eſt loco tituli, atque inveſtituræ. *II. F.* 33.: ſecus dictus §. *ſi quis per triginta* nullum produceret effectum.

§. 93. *Regalibus an præſcribatur?*

Regalia, cum ſpecialiter pertineant ad Principem ſummi Imperii jure (§. 68.), extra præſcriptionem eſſe videntur. Ita com-

communiter Doctores *in cap.* 1. *quæ ſint Regalia*; qui præſertim id in Regno obſervandum eſſe, ajunt, ubi ex Baronibus nonnulli in ſuis Feudis quædam Regalia jura in Principis, ac ſubditorum detrimentum, vim plerumque, metumve inferentes, uſurpare conſueverant. *De Franchis deciſ.* 56. Verumenimvero præter expreſſam Regis voluntatem, præſcriptio eſt modus adquirendi Regalia; non quævis, ſed ea, cujus initium ignoratur, ſi privatus contra Principem velit adquirere, *cap.* 26. *de V.S.* Tantam enim ea vim habet, ut quod lege, vel hominis pacto prohibetur, valeat permittere. Licet itaque Jure cautum ſit, rei dominicæ, & coronæ æternam eſſe authoritatem; attamen præſcriptio, quæ hominum ſuperat memoriam, haud excluditur; etiamſi de majoribus Majeſtatis Juribus agatur. Sixtin. *de Regal. Lib. I. cap.* 5. *num.* 210. Andr. *in Conſt. ſi dubitatio*. Covarr. *in cap. poſſeſſor. p.* 2. §. 2. *n.* 12. Otto *præfat. tom. X. Theſauri*. Id autem intelligendum non de juribus, ſed de eorum exercitio, ac lucro (§.68.). Jura namque diſtrahi a ſumma Poteſtate non poſſunt, nullamque temporis diuturnitate præſcribi. *Bodin. de Rep.*

 *l.*10.

l. 10. Præter Regalia, ſunt & res patrimoniales Principis, quæ annis 40 præſcribuntur. *L. fi. C. de fund. patrim.*, & bona Fiſci, quæ ſi nondum ſint Fiſco delata, quadriennio præſcribuntur, *L.* 1. *C. de quadr. præſcript.*, *L.* 1. §. 5. *ff. de J. Fiſci*; *L.* 6. §. 7. *ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*: ſin delata, & incorporata, uſucapi nequeunt, *L.* 9. *C. Comm. de uſucap.*, ſed præſcribi 40 annis poſſunt.

§. 94. *Quæ ex Regni Jure de uſucapionibus, & præſcriptionibus cauta ſunt, explicantur.*

Denique ut pateant, quæ Regni Jure de uſucapionibus, ac præſcriptionibus ſtatuta ſunt, repetendum eſt, ex Romano Jure mobilium rerum poſſeſſores triennio; immobilium decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes ſecuros eſſe, poſſeſſionique dominium adjici; quæ *uſucapio* dicta eſt: tum 30 annis actiones omnes finiri; quaſdam vero ad 40 annos durare, ac poſtea agentem temporis exceptione repelli, quæ dicta eſt *præſcriptio*. Legendus eſt Joſephus Paſchalis Cyrillus, noſtri Lycei decus, in *Commentario repetitæ præ-*

le-

lectionis in Inſtit. tit. de perp. & temp. act. Langobardi autem uſucapionem ignorarunt; ac ſolam 30 annorum præſcriptionem in rebus ſeu mobilibus, ſeu immobilibus, bona tamen fide poſſeſſis, agnoverunt. *L.* 5. *&* 9. *Lib. II. LL. Langob. tit.* 35. (§. 89.) Tantum frater poterat 40 annorum præſcriptione excludi a fratre, ſi ille ageret ad inæqualem diviſionem corrigendam. *L.* 8. *d. tit.* Fortaſſe hoc Jus uſque ad Fridericum II. apud nos viguit. Fridericus autem Romanas leges reſtituere, ac recentare conniſus, tres hoc de argumento Conſtitutiones tulit; quarum duæ poſteriores Feudale Jus reſpiciunt. Prima, quæ incipit *Duram, & diram. tit. de præſcript.*, abrogat primo loco præſcriptionem anni, menſis, diei, & horæ, per quam quis dominium ſuæ rei amittebat olim. Qualis ea fuerit, ſatis compertum non eſt. Procedere ob non petitam inveſtituræ renovationem, exiſtimat Marinus de Caramanico. Deinde confirmat Fridericus Juris communis, hoc eſt Romani, uſucapionem, ac præſcriptionem; ſed verbis illis *bona fide undique concurrente*, bonam fidem exigere videtur non modo in uſucapionis initio, ſed donec impleretur. Adhæc

præſcriptione 30 annorum inter privatos omne jus, omnemque actionem extingui juſſit, excepta hypothecaria, quæ adverſus debitorem durat per 40 annos; quæ omnia ex Romanis legibus deprompſit. Demum adprobat 40 annorum præſcriptionem Juris Langobardici, ob quam frater contra fratrem communi dividundo agere vetatur. De præſcriptione vero 40 annorum, qua Eccleſiæ, ac pia loca utuntur, nihil ſanxit Fridericus: at eam ſaltem tacite probavit; tum quia Juris communis præſcriptiones generatim omnes confirmavit; tum quia præſcriptio illa Langobardis perſpecta, atque cognita fuit. *L.* 11. *Lib. II. LL. Langob. tit.* 35. Deinde altera Conſtitutione, quæ incipit *Conſuetudinem pravam*, *tit. de rei act.*, *& except.*, Fridericus conſuetudinem improbans, quæ nullius temporis præſcriptionem in Feudis admittebat, ſancit, ſecurum eſſe, qui per 30 annos Feudum, Feudive partem, ex qua ſervitium Domino præſtet, poſſederit, præſente in Regno adverſario: ſi vero, nullo ſervitio Domino præſtito, poſſederit, nullius temporis præſcriptione ſe tueri poſſe: quod intelligendum reor, niſi præſcriptio fuerit centenaria, quæ in Fi-

ſcum

ſcum procedit, ut infra. Legis hujus ratio ab eodem Imp. exprimitur, *quia his præſcriptionibus nullum poteſt Reipublicæ præjudicium irrogari; cum apud quemcumque reſideat ſervitium deſignatum, & debitum, quod non tam perſonæ, quam rei ipſi adſcriptum eſſe dignoſcitur, minime amitti poterit, vel in aliquo minorari*. Ut igitur vim habeat exceptio hujuſmodi poſſeſſionis, opus eſt, ut nec naturaliter, nec civilitèr fuerit interrupta, ſive uſurpata; tum ut Regiæ Curiæ ſervitium præſtet, qui contra tertium præſcribit; atque ut adverſarius, adverſus quem præſcribitur, ſemper adfuerit in Regno, quod Romanæ Leges non poſcunt, *L. fin. C. de præſcript. long. temp.* Cum enim in Jure *præſens* dicatur, qui in eadem commoretur Provincia, apud nos Regnum pro una Provincia exiſtimatur. Montan. *in Prælud. Feud. nu.* 34. Andr. *in d. Conſt.* Præterea ſi quis Baronis ipſius allodium, vel ſterile Baroniæ domanium (quod ſub annuo reditu alteri concedi etiam poſſet) per 30. annos poſſederit, ac Baroni ipſi ſervitium feudale præſtiterit, Feudum jam conſtitutum intelligetur. Et licet ſine Regis conſenſu in Regno nemo Feudum alteri concede-

re

re poſſit (§.38.), attamen tanta temporis intercapedine ſollemnitas, hoc eſt Regis conſenſus, interveniſſe præſumitur. Tandem Conſtitutione *Quadragenalem. tit. de prorogatione præſcriptionis*, abolet Fridericus præſcriptionem 40. annorum Juris Romani, & 60. Juris Langobardi adverſus Fiſcum, uti ex Lege Luitprandi *Lib. II. LL. Langob. tit.* 35. *L.* 8.; ac centenariam ſolummodo in Fiſcum probat. Confirmat etiam quatriennii præſcriptionem, quam adverſus Fiſcum bonorum vacantium poſſeſſor opponere recte poteſt *ex L.* 1. *C. de quatrien. præſcript.*, & triennii, qua ſententiæ latæ in Fiſcum retractari amplius nequeunt *ex L.* 1. *C. de ſent. adverſ. Fiſc.* Quæ hucuſque diximus, anno 1477. a Ferdinando I. Aragonenſi confirmata ſunt omnia, *Pragm.* 1. *&* 2. *de præſcript.*: atque additum, belli, aut peſtis occaſione adverſus uſucapionem, præſcriptionemve poſtulari reſtitutionem non poſſe, niſi ob id abeſſe oportuerit: neque occaſione inſtrumentorum recens repertorum, niſi probetur, ea petitorem antea latuiſſe. Quæ item de centenaria præſcriptione ſanxit Fridericus, firmata ſunt a Carolo VI. Imp. anno 1720. *Tomo II. Privileg.*: adeo

deo quidem, ut poſſeſſio immemorabilis, ſive centenaria adverſus Fiſcum valeat, pro poſſeſſoribus bonorum, ac jurium Feudalium; *etiamſi conſtaret de titulo vitioſo, infecto, vel invalido; dummodo tamen titulus prædictus non ſit exhibitus ab iiſdem poſſeſſoribus*. Quo fit, ut hujuſmodi præſcriptione juvetur poſſeſſor rei Feudalis, qui eam, ut allodialem poſſedit, nec Regi ſervitium præſtiterit; ita ut moleſtari non debeat, neque a Fiſco, neque a Feudatario, ad quem Feudum pertineat. Jo. Bapt. Bilocta. *Concl. Feud.* 31. Alibi retuli, quæ de ſervitutum præſcriptione cauta ſunt Conſuetudinibus Neapolitanis *contra habentem*, ac *ubi reperitur*, & *amplius*, *tit. de apertur. non fac.*; tum, quæ de præſcriptione, ac de præſumpta ſolutione habet S. R. Conſilii deciſio 23. Decembris anni 1738., a Rege comprobata, *Pragm.* 3. *de præſcript. in novis.*; quæ tamen ad centenariam præſcriptionem, ut puto, non pertinet, ne dicamus, S. Conſilii Patres voluiſſe certum Jus, ac recens confirmatum, evertere.

CA-

C A P. IV.

DE SUCCESSIONE FEUDALI.

§. 95. *Hujus capitis ordo*.

DE ſucceſſione feudali, tam quæ ex teſtamento, quam quæ ab inteſtato provenit, nunc oportet ediſſerere; cum ex ea tertius prodeat Feudi adquirendi modus (§. 70.). Et ſicuti hucuſque egi de *conſtitutione* Feudi novi, nunc de *adquiſitione* veteris Feudi, ſeu prius conſtituti, ſermonem faciam. Quæ autem deinceps inde ſequuntur, utiliora, atque uſitatiora certe ſunt. Non enim adeo frequens eſt, ut Feuda nova conſtituantur, neque id ad multos pertinet: ſed quod dicendum ſubinde, omnibus cognitu neceſſarium eſt, qui vel Feudalia poſſident bona, vel poſſidentibus cavere deſiderant. Verum in hac tractatione Juris communis regulæ vix locum obtinent. Aliæ nobis ſunt, & quidem operoſiore diligentia, in hoc argumento ineundæ viæ. Ut vero ſuus rebus conſtet ordo, primo videbimus, quid Feudatariis liceat de Feudis teſtamento ſtatuere: ſecun-

cundo de ſucceſſione ab inteſtato, tam lineæ deſcendentis, quam collateralis, atque aſcendentis.

§. 96. *Quid Feudatarii ſupremo judicio circa Feuda diſponere poſſint.*

In Feudali Jure legitur, Feudum adquiri *Inveſtitura* (quod de Feudo novo accipiendum, *II. F.*3.), & *ſucceſſione. II. F.*1. §.*ult.*, & *II. F.*11. & 33. Vox *ſucceſſionis* in Jure civili vel late ſumitur, ita, ut ſingulares quoque ſucceſſores complectatur, vel ſtricte pro heredibus, ſive eis, qui in univerſum jus ſuccedunt. Lata illa ſignificatio hujus loci non eſt, quia Feudorum Libri alienationem Feudi minime admittunt, *II. F.* 52., niſi ſpecialiter per Inveſtituram quis Feudum acceperit *pro ſe*, & *eo*, *cui ipſe vellet dare*, *II. F.*26. §. *Feudum*, & *tit.* 48. Alias ne in teſtamento quidem Vaſallus de Feudo diſponere poteſt. *I. F.* 8. Quare videtur, de ſola ſucceſſione ab inteſtato in iis locis verba fieri. Quin Jus Feudale ex parvis initiis ortum, paullatim incrementa accepiſſe patet ex *I. F.* 1. §. & *quia vidimus*; cujus loci ſumma eſt;

eſt, Feuda initio veluti precario dari ſolita; poſtea per annum firmitatem habuiſſe; deinde per Vaſalli vitam: tum ad heredes perveniſſe, uti conſtituit Conradus II. Salicus (ita dictus, quod Dux eſſet Francorum orientalium, qui *Salii* audiebant); & primum quidem ad filios tantum; tandem etiam ad nepotes, & agnatos, & alicubi ad feminas. Et ſerius ſucceſſio in Feudis majorum dignitatum, quæ diu temporariæ, ac perſonales adminiſtrationes, officiaque manſerant, uſu probata fuit. *I. F.* 13., *&* 14. *II. F.* 55. §. *præterea*. V. Gudelinum *de J. Feud. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 12., *&* 13. Ceterum etiamdum quædam Feuda ita conſtitui poſſunt, ut inveſtiti perſonam non egrediantur, uti ſunt *Guardiæ*, *Caſtaldiæ*, & *Soldatæ*. *II.F.*10. Ubi vero hic heredis mentio fit, intelligendum de herede primi adquirentis. Qua in re differt feudalis ſucceſſio a communibus legitimarum hereditatum regulis. Proinde agnatus, repudiata defuncti hereditate, poteſt ejus Feudum capere, ſeu retinere. *II. F.*45. *&* 51. §. *filius*. At id non obtinet in filio, qui non poteſt, omiſſa hereditate Patris, in Feudo ei ſuccedere, & onera hereditatis paternæ de-

declinare. *d. loc.* Diſcriminis probabilior ratio eſt, quia etſi filius non principaliter a patre; attamen per eum, & ſecundario ab eo Feudum accepiſſe cenſetur: ab eo enim accepit, ut agnaſceretur familiæ. Ideo etiamſi pater delinquat, ſuaque culpa amittat Feudum, ejus liberi arcentur a ſucceſſione, *II. F. 26.* ✓ *&* 31. Alia eſt ratio eorum, qui in alia ſtirpe ſunt. Sæpe quæſitum eſt, an Filius exheredatus in Feudo ſuccedat? Et multi non ſuccedere putant, argumento repudiationis filii. Curt. *Tract. Feud. part.* 3. *de ſucceſſione deſcendentium n. 6.* Vereor tamen, ut contraria ſententia rationi convenientior ſit. Repudiatio namque a filio volente fit; ei invito exheredatio: & iniquum quidem eſſet, ei hereditate invito ablata, etiam quod aliunde debetur, auferre: cum nulla ordinatio defuncti poſſit Feudi ſucceſſionem immutare. *I. F.* 8. Idem de præteritione judicium eſto. Quod ſi qualitas *heredis* ex Inveſtitura neceſſaria eſt, hoc tamen vocabulum pro *liberis* accipitur, ſicuti *I. F.* 13. §. *pen.*, *&* *II. F.* 34., qui *heredes ſanguinis* a Doctoribus appellantur. V. Eguinar. Bar. *de Jur. Benefic. II.* 14. Et in conventionibus voluntas con-

contrahentium potius, quam propria verborum ſignificatio ſpectanda eſt. *L. in conventionibus* 219.*ff. de V.S.*Obſervandum eſt, Feudum in legitimam filii imputandum non eſſe; quia ex pacto ad eum pervenit, & de genere bonorum adventitiorum æſtimatur. In Feudo novo communiter contrarium placuit. Roſenthal. *c.7.concl.* 13. Quoniam igitur, Feudo ſimpliciter conceſſo, etiam illud deſcendentibus conceſſum videtur, hinc deducitur, quod diximus, in Feudis non tam ultimo poſſeſſori, quam primo adquirenti ſuccedi. Conſequitur etiam, non eſſe locum teſtamentariæ ſucceſſioni *I. F.*8.*in fin.* Inveſtitura enim, qua Feudum conſtituitur, feudalem ſucceſſionem unice regit. Ejus vinculo Feudatariorum voluntas cohibetur: atque ſi quid teſtamento ii contra Inveſtituræ leges ſtatuant, inutile eſt, & locus fit ſucceſſioni juxta illius formam. Id obtinet in Feudis ex pacto, & providentia, in quibus, ut mox obſervatum eſt, ſucceſſor jus non habet a prædefuncto Feudatario, ſed a primo concedente; neque judicia teſtatorum attenduntur, ſed jus ſanguinis, gradus proximitas, prærogativa ſexus, atque agnationis privilegium. Profe-

ſecto, quæ pleno jure in poteſtate noſtra ſunt, præceptis noſtris ſubſunt; quæ vero alterius beneficio poſſidemus, non ex noſtro pendent arbitrio, ſed ex legibus concedentis. Hinc ratio vetitæ in Feudis teſtamentariæ diſpoſitionis, quæ vulgo affertur, nimirum quia de re aliena teſtari ex lege Decemvirali non licet, parum æqua, & ſufficiens videtur: exinde enim non ſequeretur, quod circa utile dominium Vaſallus per modum legati non poſſit diſponere. Melior videtur ratio, quia utile dominium ſub hac conditione Vaſallo conceſſum eſt, ut illud alienare non poſſit, *II. F.*55.; teſtari autem non poſſumus de eo, quod alienare non licet. Igitur propter qualitatem feudalem, & non propter inhabilitatem perſonæ, omnis alienatio etiam utilis dominii, Vaſallo interdicta eſt: adeo quidem, ut de iis, quæ qualitatem allodialem in Feudis recipiunt, teſtamentaria diſpoſitio valida permaneat; ac feudales poſſeſſores poſſint partim teſtati, partim inteſtati decedere. Roth. *Pand. Feud.c.*14. *general.* §.2. Atqui ſi Dominus in teſtamentum Vaſalli conſentiat, vel illud ratum habeat, validum eſt, ſi agatur de feudo novo: in feudo antiquo autem tantum valet quoad

V præ-

præjudicium Domini, non agnatorum, ob jus ex inveſtitura his quæſitum. Roſenthal. *cap.* 7. *concl.* 4. *n.* 6. Sin & agnati conſenſerint, etiamſi non expreſſe (quod tamen humanitatis ratione in ultimis voluntatibus obtinet, non in alienatione inter vivos), validum teſtamentum erit. Vultej. *cap.*9. *num.*28. Verum ſi Feudum ſit *mere hereditarium*, quia jure allodialium cenſetur, Vaſallus & filium exheredare ex eo poteſt, & ſub generali fideicommiſſo continetur, & non prohibetur ad libitum teſtamenti tabulas diſponere. Struv. *cap.*9. *th.* 12: idque etiam in Feudis Imperii hereditariis ſervari, teſtatur Itterus *cap.* 16. §. 6. Quod ſi feudum non ſit mere hereditarium, exheredatio ſubſiſtet in allodialibus. At ſi filius exheredatione dignus fuerit, conſenſu Domini adhibito, exheredatio ſubſiſtet. Roſenthal. *cap.* 6. *conl.* 10. *n.* 10.; & privari ipſo Feudi corpore filius poteſt, quamvis fuerit ex pacto. Yſern. *in cap.*4. §. *omnes filii. tit.* 28. *Lib. II. Feud.* Quæri heic poteſt, an valeat teſtamentum, ſi Vaſallus eum heredem faciat, qui alioquin etiam erat ſucceſſurus? Et valere Feudiſtæ docent; etſi in hac ſpecie heres, ſeu

ſeu agnatus, non ſuccedit teſtamentario, ſed proprio jure: commodum enim habere poteſt, ut citius ex *L. fin. C. de edict. Div. Adr. toll.* bonorum poſſeſſionem conſequatur. Stryk. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Afflict. *deciſ.* 119. Vaſalli teſtamentum pariter valet, ſi Statuto, vel conſuetudine teſtari ei permiſſum ſit; aut ſi feudum hoc expreſſo pacto datum, ut Vaſallus illud pro ſuo arbitrio alienare poſſit. Tum ſi de fructibus Feudi ille teſtetur, ſcilicet de perceptis, quia hos pleno jure ſuos fecit, vel de fructibus ultimi anni, ſi Vaſallus poſt Kal. Mart. deceſſerit, uſque ad Kal. Auguſti, juxta *II. F.*28. *bis conſequenter.* Fructus enim a die prima Martii, uſque ad autumni finem, pertinent ad Vaſallum, ejusque heredes allodiales. Non inelegans ratio affertur, quia a prima die Octobris, uſque ad primam Martii, nonniſi nudum ſolum apparet; & fructus inter terræ viſcera adeo deliteſcunt, ut Langobardi æquiſſimum eſſe judicarint, una cum ſolo, tamquam ſoli partes, redire debere. Inſuper valet diſpoſitio de Feudi meliorationibus; quia cenſentur jure allodialium; atque etiam ab inteſtato non heredi feudali, ſed allodiali cedunt. Ob

eamdem rationem valet de pretio feudi legitime venditi, cum non ſuccedat in locum rei. Valet etiam de jure pignoris, ſi hoc jure Feudum quis detineat; licet ſine conſenſu Domini teſtetur; niſi ſtatuto receptum ſit, debitum feudale non cedi ſine Domini conſenſu. Sed non valet diſpoſitio de Feudo *pignoratitio*, nec de *franco*. Nam nec de feudis impropriis teſtari permittitur; quicquid Baldus dicat *in Auth. niſi rogaſti. C. ad S. C. Trebell.* Adhæc legato feudo, æſtimatio debetur ab herede allodiali, quem potuit gravare teſtator. Feudum enim non ſimpliciter extra commercium eſt, ſed cum demum Dominus diſſenſerit. Vultej. *Lib. I. cap.9. n.* 72. At qui ad Feudi ſucceſſionem in Inveſtitura eſt vocatus, minime obligatur ad præſtandam Feudi æſtimationem ei, cui forte illud fuerit teſtamento relictum: inutiliter enim relictum eſt. *L.*41. *de Leg.* 1. De Marinis *ad Reverter. dec.* 359. Capyc. Lat. *dec.* 40. Staiban. *Reſol.* 99. Aliud de Ponte *conſ.* 54: tametſi alii diſtinguant inter Feudum hereditarium, & ſimplex, ſive ex pacto, & providentia. Dominus vero de directo dominio diſponere poteſt, non modo inter ſuos agna-

gnatos, ut quidam Feudiſtæ docent, ne novus Dominus invito Vaſallo obtrudatur. Vultej. *d. loco num.* 84., ſed libere: nullum enim a Vaſallo beneficium recepit. Jam vero cum antea in Langobardia Feuda ut plurimum eſſent *ex pacto* primi adquirentis, *&* *ex providentia* dantis, ita ut darentur *ad tempus*, *&* *poſt tempus*, nimirum ad vitam tam primi adquirentis, quam ſingulorum ſucceſſorum, ut ait Yſernia *in cap.* 1. §. *hoc quoque ſciendum. de ſucceſſ. feud.*, contractus iſte non unus cenſebatur, ſed multiplex; ſcilicet quot erunt ſucceſſores. Frecc. *de ſubfeud. Lib. III. diſſ.* 22. Roſa *Prælud. Feud. de feud. orig.*, *&* *diviſ. lect.* 1. Rex autem Rogerius novam in Regno Feudorum naturam induxit. Feudatarii enim Nortmanni proprias quiſque dynaſtias, uti proprium patrimonium, retinere voluerunt; ita ut eorum deſcentibus, ceu heredibus, non primi adquirentis, ſed ultimi poſſeſſoris, illas tranſmittere poſſent: ac licet pro arbitrio de Feudi corpore, ejuſque partibus, ob inveſtituræ legem diſponere nequirent, poſſent tamen ſanguinis heredem ſuper valore Feudi onerare. Hinc in Inveſtituris formula illa, *tibi*, *&* *heredibus tuis*. In Regno noſtro

autem, quod jam ab Italiæ Regno, & ab Imperio avulſum erat, poſtquam ſub Rogerio Lex Conradi de ſucceſſione recepta fuit, quia in Legum Langobardorum corpore extabat; non item lex Rotharii, qua feudalis ſucceſſio ad patruum extenſa fuit, nec poſteriores Langobardiæ conſuetudines, quæ ad ſeptimum uſque gradum ſuccedere collaterales ſinebant: tametſi a quibuſdam Baronibus inter alias, etiam eas conſuetudines propter Friderici II. ſeu minorennitatem, ſeu abſentiam irrepſiſſe, ipſemet Fridericus teſtetur in Conſt. *Poſt mundi machinam princ.* V. Franc. de Andr. *in diſp. an fratres. cap.* 2. §. *9. num.* 44., & Roffred. Beneventan., qui coævus Friderico fuit. *V. quæſtionem ſabatinam apud Lanar. in tit. de his, qui Feud. dare poſſ.*; Fridericus Conſtitutione *hac edictali*, quid *Feudum hereditarium* deſignaret, exponit, cum nonnulli hereditaria abuſi qualitate, de Feudis diſponere ſolerent in Fiſci perniciem, necnon eorum, qui ex pacto, & providentia vocati erant. Etenim Fridericus antea alienationem Feudorum, ac Regalium, Rege inconſulto, interdixerat (§.68. *pag.* 232.). Quod cum Interpretes, Feudi hereditarii indolem, ac naturam neſcientes,

ad

ad actus inter vivos coanguſtarent, Imperator cavit, ne ultima quidem voluntate poſſe diſponi de rebus, ex quibus vel perſonaliter, vel in pecunia ſervitium præſtari deberet. Proinde in Inveſtituris non aderat clauſula, *tibi*, *& cui dederis* (quæ etiam rarior in Langobardia erat), nec illa, *tibi*, *& ſucceſſoribus quibuſcumque*; ex quibus mere hereditaria Feuda deſignantur; ſed formula invaluit *tibi*, *& heredibus*, h. e. ultimi poſſeſſoris (ſubaudiebatur *ex corpore*, ne mere hereditaria evaderent; quod poſtea expreſſum eſt); ex qua clauſula Feudum hereditarium mixtum conſtitui cœpit; ſcilicet *hereditarium*, quia non poterat ſuccedere, niſi heres ultimi poſſeſſoris; *mixtum*, quia hic pro arbitrio heredem ſibi ſcribere prohibebatur. De horum Feudorum natura optime pertractat Joſeph de Roſa *de Feudor. orig.*, *& diviſ. in Prælud. Feud. lect.* 1. *&* 2. *tom.* 2. Hinc libertas teſtandi erat quoad conditiones, atque onera, quæ imponi poſſent uſque ad univerſum Feudi valorem. Quod ſi ultimus poſſeſſor alium ab herede ſanguinis ſcripſerit heredem in Feudalibus, id non valeret, quia jam iu Feudi conſtitutione heres declaratus tacite eſt ex pacto. Contractus vero in-

inveſtituræ præſumitur in ſingulis ſucceſſoribus renovari. Montan. *de Regal. off. num.* 29. Proinde in quovis ſucceſſionis eventu contrahentes diverſa ſtatuere, ſi ita placuerit, poſſunt, *Pragm.* 31. *de Feudis*. Apud nos etiam inutilis eſt inſtitutio heredis extranei in Feudi corpore; & conſanguinei, niſi fuerit proximior; ac ſui heredis, niſi primogenitus fuerit, ut infra. Nullo enim modo ſucceſſores privari corpore Feudi poſſunt, niſi & eorum, & Principis aſſenſus accedat: idque de Feudo antiquo accipiendum monet Yſernia *in cap.* 1. *tit.* 39. *Lib. II. Feud.*: novum enim ſolo Principis aſſenſu alienari permiſſum eſt: modo ejus conceſſio facta non ſit etiam agnatorum intuitu. Veſembec. *de Feud. cap.* 11. Poſſe etiam creditores hypothecarios (id affirmat de actione quoque perſonali de Franchis *dec.* 704.) cogere ſucceſſorem ad Feudi venditionem, ait Yſern. *in cap.* 1. *tit.* 9. *Lib. I. Feud.* Cum igitur in Regno Feuda omnia ſint hereditaria mixta, ideſt neque omnino ex pacto, neque prorſus hereditaria, ſive in iis ſuccedatur *Jure Francorum*, ſive *Langobardorum* (§. 22. *pag.* 37.), hinc qualitas heredis noviſſimi defuncti oſtendenda eſt in Re-

Regia Camera, etiam poſt Gratias, ex quibus, ne Feuda ab heredibus legitimis in feudalibus exirent, cautum, majoratui, & fideicommiſſo alligari poſſe, uti mox videbimus. Ex dictis eruitur, quod licet Feudatarii Feudi corpore vocatos in Inveſtitura privare nequeant, poſsunt tamen ſupremis teſtamenti tabulis non modo diſponere de fructibus quolibet anno percipiendis, Joſeph de Roſa *conſult.* 18., verum etiam gravamen imponere ſuper ipſius Feudi valore; ac legitimum in corpore Feudi ſucceſſorem cogere ad ſolvendum ejus pretium cuicumque. Id vero diſcriminatim accipiendum. Nam ſi legitimus ſucceſſor, & in Inveſtitura vocatus, ſit deſcendens, cui portio legitima debetur, gravamen a teſtatore adpoſitum, ſuſtinetur, ſed deducta legitima, quæ ſine ullo gravamine ad deſcendentes tranſit. Legitima vero in Burgenſaticis ſecundum Romani Juris ſcita, eſt vel triens, vel ſemiſſis pro filiorum numero. Contra in Feudis, quotquot filii erunt, ſemper legitima eſt tertia pars valoris Feudi, primogenito ſucceſſori tribuenda. De Roſa *in prim. prælect. Feud.* Quod ſi ſucceſsor in Feudi corpore ſit agnatus collateralis, nonnulli

li cenſent, integrum poſſe Feudi valorem gravari : cum heres ſtare teneatur facto defuncti. Alii, quibus id immane viſum, ſtatuunt, aliquid Judicis arbitrio huic ſucceſſori tribuendum eſse; qui aliter, cum ſit in Inveſtitura vocatus, Feudum adquireret prorſus inane, & ſine utilitate. Addeſis, Romanis legibus Trebellianicæ, & Falcidiæ detractioni in ſimili ſpecie locum eſſe, de Andr. *in Repet. Feud. cap.* 5. de Curt. *in Diverſ. Feud. p.* 1. *c. multoties*. Nihilominus prior ſententia uſitatior eſt : cum heredes, præſertim extranei, ſuprema hominum judicia exequi teneantur, atque æquius interpretari, ut effectum ſortiantur. Quare iis ſatis eſſe debet, honore Feudi per ſucceſſionem adquirendi, non carere. Adhæc Feudi valor, cui gravamen adpoſuit teſtator, hujus mortis tempore attendi debet: ac ſi deinceps augeatur, beneficio, & lucro ſucceſſoris cedet augmentum. Num ſuper ipſo Feudi corpore morienti Feudatario liceat Fideicommiſſum, ſeu majoratum conſtituere? Negatur, attentis iis, quæ communia Feudorum Jura dictitant. Vt enim vulgo loquuntur, Feudi corpus, veluti ſagitta, ad ſucceſſores legitimos in Inveſti-

veſtitura comprehenſos, recta tranſit, omni illæſum onere. In Regno noſtro *ex Pragm.* 4., & 7. *de Feud.* facta poteſtas Collaterali Conſilio fuit præbendi aſſenſum ſuper Feudorum alienationibus; exceptis ſubſtitutionibus, & fideicommiſſis. Sed anno recurrente 1655, precibus benigne Rex Philippus IV. annuens, conceſſit *viris Nobilibus, quod quilibet eorum poſſit fundare majoratus in ſuis Feudis, intra terminos tamen ſucceſſionis permiſſæ, ut ſupra; ita ut reſtitutionis, & fideicommiſſi onus ulterius in detrimentum juris devolutionis nobis, & noſtræ Curiæ competentis, non procedat*, *Pragm.* 34. *de Feud.*: quod beneficium anno 1666. a Carolo II. Rege confirmatum fuit. Sane cum non ſemper decoris tenax ſucceſſorum indoles eſſet, & facile plerique omnes ad Feudorum alienationem inclinarent; hinc ob eam facultatem Principali indulgentia iis conceſſam, provident teſtatores, ut ſucceſſores Feudo uti frui poſſent; amittere nequirent; atque ita libertas, quæ ſibi, poſteriſque noxia eſſe poterat, cohiberetur. Verum ex allatis Pragmaticæ verbis duo concurrant, ſapienter conſtitutum apparet. Alterum in privatum fami-

miliarum favorem, quod ordo permiſſæ ſucceſſionis minime violetur; nec turbetur graduum prærogativa, vel primogenituræ privilegium negligatur. Alterum in principalis juris favorem, ut nulla Regiæ Curiæ in caſu devolutionis, pernicies inferatur. In allodialibus vero liberrima eſt diſponendi facultas. Majorem porro facultatem teſtatoribus feudatariis tribuit Philippus III. an. 1595. *Pragm.* 33. *de Feud.* Ne enim Feuda ab agnatione avellerentur, atque cum mulieribus, quæ ſuccedebant, ad alienas familias tranſirent, enixe petitum a Rege eſt, ut Feudatario liceret tam actu inter vivos, quam ultimæ voluntatis, de Feudis quibuſcumque diſponere favore illius maſculi de ipſorum familia, & agnatione, qui foret ſucceſſurus, niſi feminæ extarent ad ſuccedendum proximiores; cui & ſubſtitutum pupillarem, & vulgarem dare poteſt. Marad. *in d. Pragm.* 33: feminis autem innuptis teſtatores titulo dotis, (quod jamdiu fuerat in Feudis hereditariis receptum), vel iis nuptui traditis benignitatis cauſa aliquid ſuper Feudi valore tradere, vel reliquere poſſunt; idque conſilium eſſe, non præceptum, tuetur de Roſa *in Prælud. Feud. Lect.*

10.

10. Additum etiam, ut intelligatur in huiuſcemodi diſpoſitionibus præſtitus Regius aſſenſus, & Feuda ab eorum natura non recederent, ſed antiqua hereditaria manerent. Et Rex humaniſſime annuit; atque a Philippo IV. etiam confirmatum id fuit. *tom.* 2. *privileg. Regn. fol.* 197. Denique obſervandum eſt, teſtandi licentiam, eo modo, quo dictum eſt, iis Feudatariis conceſſam intelligi, quibus Romanæ leges factionem teſtamenti largiuntur. Proinde filiusfamilias tunc de Feudo teſtari poterit, cum inter caſtrenſia bona illud adnumeratur, nimirum, ſi cauſa militiæ, non ſucceſſionis, ab eo quæſitum eſt. Ita vulgo Doctores. De Franchis *dec.* 4: At iſthæc diſtinctio neſcio, an ex Juris Feudalis principiis recto ſtare talo poſſit.

§. 97. *De ſucceſſione deſcendentium in Feudis; ubi de vita, & militia; necnon de dote de paragio; ac dotario ſuper Feudis conſtituendo.*

Si teſtamentum non factum, vel non jure factum fuerit, locus fit ſucceſſioni ab inteſtato etiam in Feudis. Nam & is inteſtatus dicitur, qui teſtamentum facere non po-

potuit. *L.4. §. hoc autem 3. ff. qui pet. tut. vel curat. L. 2. §. impuberem 5. ff. ad S.C. Tertull.* Atque communi Feudorum Juriſprudentia, in deſcendentium linea, hæc ſucceſſio in infinitum procedit; cum deſcendentes omnes unum idemque perſonarum corpus componere videantur. Idipſum obtinet, etiamſi in primæva Feudi conceſſione nulla facta fuerit mentio filiorum, & heredum. *cap. 1. de grad. ſucceſſ. in Feud.* Cum enim nemo ſibi ſoli proſpiciat, ſed & ſoboli, votum hoc in dante, & accipiente Feudum præſumitur. Statutum autem eſt, quod ſi extent ſoli filius, ac filia, etſi Jure Civili in capita ſuccedant, *Nov. 118. c. 2.*, Jure tamen Feudali, ſive Feudum ſit novum, ſive antiquum; & ſive ſit non regale, ſive regale (hodie *I. F. 13. in fin. II. F. 55.*, non olim, *I. F. 14.*, & in hoc ſi plures ſint, filius primogenitus prælationem habet. *d. tit. 55. §. firmiter*), regulariter ſoli ſuccedant filii, filiæ excludantur. *II. F. 11.*, & 50. Feminas ſane non decet arma ferre: tum fragilia ſunt earum conſilia, & lubrica vota, quibus adverſus propria commoda eæ laborant; *L.4.C. de ſponſal.*, & ſæpe in perniciem ſui ipſarum ſubſtan-

ſtantiæ deducuntur. §. 1. *Inſt. quibus alien. lic.*, *vel non.* Quare præter propinquitatem ſanguinis, & ſtirpem, ſexus in ſucceſſione Feudali ſpectatur: ac deficientibus maſculis liberis, vel agnatis, generatim Feudum ad Dominum revertitur. *I. F.* 1. & 8. Tametſi autem ſibi, ſuiſque heredibus, qui Feudum initio accepit, proſpexiſſe videatur, *II. F.* 18., attamen pacti inveſtituræ verba expreſſa, & generalia, ex natura rei, de qua agitur, ſtricte accipiuntur, h. e. de ſolis maſculis heredibus. *I. F.* 13. §. *pen.* Diadematis quoque Francici, Lege Salica id dictante, Jus eſt, ut *in colum*, uti vulgo dicitur, non cadat: cum ad regnandum feminæ vix idoneæ ſint. Juſt. Lipſius *Civilis Doctr. II.* 3. Quo jure etiam cenſeri dicuntur, quæ ſecundis Regum Francorum filiis adſignantur ditiones, quas *Appennagia* vocant. Choppin. *de Domanio Franciæ III.* 1. Deinceps nepotes, & deſcendentes in infinitum ſuccedunt; modo ex filio, non etiam filia nati ſint. *d. tit.* 11. Nam, qui Feudum dat, eligit ſtirpem generoſam, ac fortem familiam: familiæ vero finis eſt femina, *L. pronuntiatio* 195. §. *fin. ff. de V. S.* At quandoque feminæ contra Feudorum naturam ſuccedunt,

uti

uti ſupra dictum eſt (§. 19., & 40.). Quando autem reperiuntur Feudi capaces, ordo ſervandus, ut mares præferantur. *I. F. 6.*, & 8. §. *filia vero*. At quid Juris, ſi non in eadem fibra, ut dicitur, ſeu ſtirpe ſint mares, ac feminæ? ex. gr. cum nepos ex una filia, neptis ex altera ſit relicta? Gerardus totum maſculo tribuit, Obertus matris ſuæ partem nepti. *II. F.* 51. §. *ſimiliter ſi quis*. Sane ſi nihil ex inveſtituræ pactis erui poſſit, diſſentientes Veteres remanſerunt. *II. F.* 17. §. *alii dicunt*. Sed æquitas, uſuſque probavit, ut ſingulæ ſtirpes conſiderentur, ac ſeparatim in ſingulis ſexuum comparatio fiat. Multi præterea putant, feminam ſemel a maſculo excluſam, in perpetuum a ſucceſſione ſubmotam cenſeri: iiſque ſuffragari videtur textus *I. F. 6.* §. *quin etiam*. Verum id duriuſculum eſſe reor. Quod autem inibi ſcriptum eſt, relicto maſculo, ulterius feminas non admitti, ita interpretari mallem, ut non admittantur, quamdiu maſculus ſupererit, vel ejus linea. Inſuper viceverſa nonnunquam filii excluduntur; veluti ſi nolint patri heredes eſſe in allodialibus, *II. F.* 45., & 51. §. *ſimiliter*; ſi patris delicto Feudum commiſſum

ſum ſit, vel etiam hic Feudum alienaverit: nam hiſce in ſpeciebus Feudum plerumque ad Dominum, nonnunquam ad agnatos redit, *II. F.* 24., *&* 26: tum ſi vivo patre ita Dominum læſerint, ut Feudum, ſi poſſiderent, amitterent, *II. F.* 51., *&* 55., & ſi ex matrimonio ad morganaticam contracto nati ſint, *II.F.*26, *&* 29. (§. 59.) De exheredatione autem communiter docent DD. noſtri, eam ex juſta cauſa factam excludere filium a Feudo. Yſern. *in cap.*1. *de ſucceſſ. Feud.* Zaſius *de Feud. part.*8. *n.*8., ne debetur occaſio filiis Feudatariorum impune parentibus injurias inferendi, ſi ſcirent, non poſſe Feudi ſucceſſione privari. Quæ ratio cum generalis ſit, non minus obtinere in Feudo hereditario, quam ex pacto, & providentia, alteriuſve naturæ, plerique affirmant; tametſi alii diſtinguant, uti dixi (§.*96.pag.* 303., *&* 306.). Quod ſi filii concurrant cum nepotibus defuncti, illi in capita, hi ſuccedunt in ſtirpes. *I. F.* 14. §. 1. *I. F.* 1. §. 7. Emancipati liberi tam noviſſimo Jure Juſtinianeo *Nov.*118. *c.*1., quam Feudali, *DD. in I. F.* 1. §. *hoc quoque*, cum ceteris, qui in poteſtate manſerunt, æqualiter ſuccedunt. Nec refraga-

 tur,

tur, emancipatos deſinere eſſe agnatos; cognatos autem ad ſucceſſionem Feudi non admitti, *II. F.* 11.: nam conjuncti per lineam maſculinam ſuccedunt, ſive ſint agnati, ſive cognati; id eſt, ſive in patria poteſtate ſint, ſive non. Nam iſtud agnatici, & cognatici juris diſcrimen ſublatum *Nov.* 118. *c.*1., non vero illud, quod ex linea feminina, ſive materna, deſcendit. Item liberi legitimi tantum, ſeu adoptivi, qui veri liberi non ſunt, ſed adſcititii, & commentitii, *L. fideicommiſſum* 76. *ff. de C. & D.*, Feudali Jure non ſuccedunt, *II. F.* 26. §. *adoptivus*. Feuda enim dantur ſanguini, *II.F.*10.; & adoptio jus ſanguinis non adfert, *L. qui in adoptionem* 23. *ff. de adopt.*: aliter fieri poſſet, ut Domino Feudi invito, Vaſallus ex aliena familia unius Vaſalli voluntate adſciſceretur, contra *II. F.*12. *in fin.* Id vero ceſſare poteſt ob pactum Inveſtituræ, vel ob loci conſuetudinem, vel ob Principis voluntatem, ſi ita arrogatio, aut adoptio facta fuerit, ut & adoptivi in Feudo ſuccedant. Corvinus *J. Feud. II.* 5. Tandem legitimati ut non ejuſdem generis, ita non ejuſdem juris ſunt. Legitimati per oblationem Curiæ, quia jus ſuitatis ſolummodo conſe-

quun-

quuntur, non item agnationis, ſoli patri, non agnatis in Feudis ſuccedunt, Borcholot. *de Feud. c. 7. n. 53.*, ſi ea pater poſt legitimationem adquiſiverit, Vult. *de Feud. c. 9. nu. 93.* Sed hic legitimandi modus jamdudum exolevit. Per Reſcriptum Principis legitimati in Feudis non ſuccedunt, II. *F. 26.* §. *naturales*, niſi nominatim ad Feuda ſint legitimati. Afflict. *in d.* §., tametſi in Feudo antiquo adgnatis ex pacto, & providentia jus fuerit quæſitum. Jul. Clar. §. *Feudum, qu.* 82., quia jus agnatorum non in ipſa re, ſed in ſpe poſitum eſt; nec plene adquiſitum. Verum Principis religioni relinquendum, juſtam legitimationis cauſam dignoſcere. Legitimati denique per ſubſequens matrimonium, etiam cum naturalibus, & legitimis liberis ſuccedunt Feudali Jure, quo nil Juri communi hac in re detractum eſt, vel immutatum. In iſta tamen ſpecie tempus ſpectatur delatæ ſucceſſionis. II. *F.* 106. Hinc non obſtat *d.* §. *naturales*. Quæ autem dicta ſunt de liberorum ſucceſſione, tunc demum procedunt, cum iis non obſtet qualitas aliqua, a ſucceſſione eos removens; ex. gr. ſi parens eorum ſine ſollemnitate legitima Feudum obtinuerit, I. *F.* 25., ſi Clericatum ii aſ-

ſumpſerint, II. *F.* 30., §. *ex hoc deſcendit*: nam qui factus eſt miles Chriſti, ſeculi eſſe definit, II. *F.* 21., ſi furioſi, mentecapti, aut alias imperfecti ſint: etenim ad miniſteria feudalia minime ſunt idonei. II. *F.* 36. Feuda autem ideo conceduntur, ut Vaſalli ſerviant. II. *F.* 23. *in fin.* Corvin. *d. loco.* Itaque de communi Feudorum Jurisprudentia, ſeu *Langobardorum Jure*, quod commune eſt, Feuda deferuntur omnibus legitimis deſcendentibus maſculis, ſine gradus diſcrimine (hinc dividua ſunt); tum feminæ perpetuo a ſucceſſione feudali excluduntur; tandem, ut inferius dicam, poſt deſcendentes ſucceſſio collateralibus defertur, ſi tamen fuerint ab eo deſcendentes, cui Feudum initio conſtitutum fuit: atque ex his proximiores gradu Feudi poſſeſſori, potiores remotioribus ſunt; licet hi propiores fuerint primo adquirenti. Veſembec. *de Feud. c.* 6. *n.* 16. Apud nos autem feudales ab inteſtato ſucceſſiones non Langobardis, ſed propriis legibus, maximam partem *Francorum Juri* conſentaneis, reguntur. Præcipue ex Friderici II. Conſtitutione *ut univerſis*, *tit. de ſucceſ. Nobil. in Feud.* ſtatuitur, in Feudis ſuccedere filios maſculos, & ex his majorem natu; (hinc

(hinc Feuda de Jure Francorum ſunt individua): tum, ſi maſculi non extent, feminas eadem ætatis prærogativa ſuccedere. Nimirum cum in Regno tunc temporis Baronum alii viverent Jure Langobardorum, alii Francorum, Fridericus pro omnibus ait, *ſervata ſexus prærogativa*: pro viventibus autem Jure Francorum addidit, *nec non majoris ætatis inter eos*, *qui vivunt in Regno ſpecialiter Jure Francorum*. Cum autem dicimus, primogenitum Jure Francorum ad Feudum admitti, intelligimus, tot eſſe primogenituræ lineas, quot ſunt fratres. Tiraquell., & Jacobus de Sanſa *lib.de primogenitura*. Idipſum vulgo aſſeritur, quoties agitur de ſucceſſione ad fideicommiſſum ratione primogenituræ; prout uſus fert, cum qui Feudis carent, pro ſuarum familiarum conſervatione, fideicommiſſa conſtituunt favore primogenituræ: & vulgo dicuntur *Majoratus*. Itaque, ut ad propoſitum redeamus, non ſolum beneficia militaria, verum etiam Comitatus, & magnæ Baroniæ ad ſucceſſores delatæ fuere. Propterea quantum ad liberorum ſucceſſionem etſi Juſtinianeum Jus, utpote naturali Parentum caritati conveniens, fortaſſe veteribus Germanis placuerit: attamen ſubſe-

quutæ Germanicæ originis Gentes pleræque maſculos feminis prætulere. Ita apud Lindebrog. de Ripuariis *tit.* 56. §. 3., de Salicis *tit.* 62. §. 2., de Burgundionibus *tit.* 14. §. 1. Et Langobardi feminas a Parentum ſucceſſione excluſere, contentas fore ſtatuentes, de eo, quod pater, vel frater iis nupturis dediſſet. *Lib. II. LL. Langob. tit.* 14. *L.* 15. Quin omnis fere poſſeſſionis feminæ exortes erant: ac, ne indigerent, maſculis curæ erat: quemadmodum loquitur Aſtolphus *in d. loco L.*28.; hoc eſt, ut illis de victu, & veſtitu eſſet proviſum; atque, cum ſe ſe honeſta offerret occaſio, nuptui darentur. Pecunia autem initio neceſſaria non erat, quod eæ ſine dote nuberent; & vix mobilia quædam, *faderſii* nomine nuncupata, ad maritos ferebant (cum tempore addito, ob feminarum luxum, & Romanarum legum auctoritatèm, cœpere iis nubentibus dotes congruas dari). Sed Langobardi feminas, deficientibus maſculis, ad ſucceſſionem admittebant. *d. tit. L.* 20. Andr. de Barulo *in Comm. ad LL. Langob. tit.* 14. Neapolitanarum vero rerum potientibus Nortmannis, eorum plerique Salica lege, vel Anglica vivebant: nam multas e Nortman-

mannia conſuetudines, a Lege Salica profectas, ut ipſimet regerentur, huc detulerunt. Perſonales namque olim erant Borealium Gentium leges, quæ poſtea locales evaſere. Hinc petenda introductio Feudorum *de Jure Francorum*. Hinc pariter factum, ut alicubi mos invaluerit, feminas a paterna ſucceſſione, etiamſi ſolæ ſupereſſent, excludendi, hereditate ad proximos agnatos delata. Id emendare ſtuduit Fridericus II., qui e Nortmannorum ſtirpe non erat. Is alias quoque Francis parum æquus, eorum Jus abolere conatus eſt, ſi ſucceſſionem primogeniti in Feudalibus excipias. Hinc mores Francorum in Judiciis interdixit *Conſt. ſpeciale quoddam:* tum duella *Conſt. proſequentes*. Denique cum is a muliere Siciliæ Regnum acceptum ferebat, mulieres ad ſucceſſionem admiſit tam in Feudalibus, quam in Burgenſaticis. Quare morem, *quod in bonis Comitis, Baronis, vel Militis, qui deceſſerit, filiis maſculis non relictis, feminæ non ſuccedant*, adverſum pronunciavit & dictamini rectæ rationis, *quæ parentum votis abſque diſcretione ſexus, tam maſculos, quam feminas commendavit*, & Juri communi, ſcilicet tam Romano, quod fe-

minas deſcendentes una cum maſculis ad ſucceſſionem invitat, quam Langobardo, quod, deficientibus maſculis, tantum in allodiis eas vocabat: adverſum item ſuis legibus morem illum dixit Imperator; ſcilicet Conſtitutioni *ut de ſucceſſionibus*, quæ feminas in Feudalibus quoque admittebat. In Conſtitutione *in aliquibus tit. de ſucceſſ. fil. Com. & Baron.* igitur, quam ad legitimas ſolummodo hereditates pertinere, poſt Yſerniam tenent omnes, Fridericus Langobardorum Jus reſtituturus, cavit, *patre mortuo*, ſive *Francorum*, ſive *Langobardorum Jure* vixiſſet, non minus in Feudalibus, quam in Burgenſaticis, maſculos ſuccedere, cum onere dotandi ſorores & patris, & ſuas, *ſecundum paragium*; ſcilicet honeſte, & ſecundum propriam conditionem: deficientibus autem maſculis deſcendentibus, feminas ſuccedere, agnatis collateralibus excluſis. Feudorum vero cuſtodiam Rex ſibimet reſervavit, donec feminæ 14. annum exceſſiſſent. Non agitur in hac lege de matre a cujus hereditate feminæ nullo Jure excludebantur. Quare *τὸ parentum*, quod proſtat in vulgata editione, legendum *parentis*. Ceterum de hac ſpecie in varia ſtudia Interpre-

pretes patrii Juris abiere. Andreas de Yſernia Conſtitutionem non accipit de materna hereditate, quia quæ Jure noſtro definita non ſunt, generatim ex Jure Romano ſunt definienda. E contrario Fridericus Jus Langobardorum reſtituere voluit, quo etiam in materna hereditate maſculi feminis præferebantur; & ſolummodo paternæ hereditatis mentionem fecit, quia in ea abuſus inoleverat. Atque ita ſæpius judicatum. Afflict. *in d. Conſt. & dec.* 178. Cap. Latro *dec.* 135. *Si autem*, pergit Fridericus, *filii maſculi una cum filiabus feminis, aut etiam ſororibus patri decedenti ſuperſint, ... præferri volumus maſculos feminis, dummodo tamen ſorores, aut amitas, fratres, aut nepotes debeant maritare. Ceterum ſi tantum feminæ ſuperſtites fuerint, ipſas volumus ad ſucceſſionem admitti*; nimirum tam filias, quam defuncti ſorores, ſecundum Jus Langobardorum. Attamen hæc lex non omnimodo ſervatur. Filii namque hodie ſuccedunt cum onere dotandi ſuas ſorores, non item amitas: ac ſi quis decedat, ſuperſtitibus tantum filiabus, ac ſororibus, hæ excluduntur ab hereditatis parte, ac dote. Ratio eſt, quia hodie ſem-

ſemper ex hereditate paterna, maternaque dos ſecundum paragium debetur. Hinc defuncti ſororibus ſalva dos eſt in bonis paternis, maternisque. Sed apud Langobardos olim, deficientibus maſculis, filiæ ex æquo cum defuncti ſororibus ſuccedebant; quoniam hæ nihil ex paterna, maternave ſucceſſione acceperant. *d. Lib. II. LL. Langob. tit.* 14. *L.* 23. Ita Doctores noſtri; qui tamen *το amitas* in Fridericiana Conſtitutione male referunt ad ſpeciem, cum nepotes ad avi ſucceſſionem veniunt. Pauca in eam Conſtitutionem ex Fori diſputatione, receptoque Jure commentari non abs re fore puto. In primis, ſi agatur de patris hereditate, fratres etiam ex diverſo conjugio ſorores excludunt. De Franchis *dec.* 26. Minadous *dec.* 36.: non item ſi de hereditate matris. Profecto ex Jure Langobardorum, ſecundum quod liberorum ſucceſſio ex dicta Conſt. regenda eſt, inter collaterales ſola agnatio, non cognatio attenditur, Andr. de Bar. *d. loco*: proinde uterinus frater extranei loco eſt. Diſerte id cautum etiam in Conſuet. *ſi qua mulier*. Adhæc ob matrem defunctam, filii diverſarum familiarum ſunt: ut nulla reddi ratio poſſit,

ſit, cur bona in una potius, quam in alia familia conſerventur: quæ mens Friderici fuit. De Roſa *ad Conſ. ſi moriatur*. Præterea maſculi feminas excludunt ab omnium aſcendentium hereditate, modo maſculi ex maſculis deſcendant; uti in Conſuet. *& omnia*. Patrueles vero non excludunt ſorores: nam hæ patrem repræſentare videntur; uti & innuit Conſuet. *ſi moriatur*. Ob eamdem fictionem ſubingreſſionis evadere poſſumus ambages agitatiſſimæ quæſtionis; cum neptem ex filio amitam ſuam excludere affirmamus. Si enim nepos ex filia una cum amita ad Avi hereditatem admittitur, quia ſexum, & gradum matris repræſentat, cur neptis ex filio ſexum, & gradum patris repræſentare non poteſt? Immo in Feudalibus neptis ex filio ſexum, ac gradum patris repræſentat, atque patruum ſecundogenitum excludit. Jure item Langobardico idipſum certum eſt; uti ex lege Rotharii *Lib.II. LL. Langob.tit.*14. *L.* 19. Jam vero apud nos etiam deſcendentium ſucceſſio in infinitum producitur. *Conſt. ut de ſucceſſionibus*. Sed quia in hoc Regno Feuda maximam partem effecta ſunt individua per Jus Francorum, *ut in d. Conſt.*, hinc

hinc certus ordo in hac linea inductus eſt, ut primo gradus attendatur; inde ſexus; poſtremo ætas. Gradus potior eſt, & proximior remotiorem excludit. Filius igitur, qui gradu præcedit filium a ſe progenitum, ipſum in ſucceſſione quoque præcedit. Sexus deinceps potior eſt. Igitur maſculus præfertur feminæ. Neque tamen hæ a ſucceſſione perpetuo excluduntur; niſi nominatim in Inveſtitura excludantur. Itaque ſuccedunt, ſi in eo gradu, in quo cadit ſucceſſio, non extent maſculi ſucceſſionis capaces. Succedunt quoque, ſi maſculus adſit remotior. Potior enim eſt gradus proximitas, quam dignitas ſexus. Ætas denique facit, ut natu major minori præferatur. Verum ne veluti derelicti langueant maſculi ſecundogeniti, & feminæ eodem gradu exiſtentes, ſapienter cautum eſt, ut primogenitus vitam, & militiam fratribus natu minoribus præſtare debeat, feminis vero dotem de paragio. Cum enim in Feudis de Jure Francorum, quæ indiviſa ſunt, primogeniti unice ſuccedant: Langobardorum enim Jure omnes filii ſuccedunt æqualiter, *cap. omnes filii. ſi de feudo defuncti fuer. content.*, cautum eſt, ut ad ſuſtinendam vitam, atque exercendam mili-

militiam, cui viri nobiles maxime ſtudent, tum ad avertendam inter fratres invidiam, quæ detrimentum parit Reipublicæ, aliquod adjumentum ſecundogenitis præſtaretur. Hinc vita, & militia, ſucceſſit in locum portionis, quæ Jure Langobardorum ſecundogenitis deberetur; eſtque præſtatio quædam alimentorum congrua & decens, qua fratres ſecundogeniti Feudatariorum, vitam ducere, & militiam colere poſſint; & ſubrogata quoque eſt in locum legitimæ portionis Jure Romano debitæ. At illud intereſt legitimam inter, ac vitam, & militiam, quod illius proprietas debetur; hæc vero ultra vitæ ſpatium minime excurrit. Ceterum ad rationem legitimæ vita, & militia computari debet. Inita igitur ratione fructuum feudalium, deducto, uti & in legitima fit, ære alieno (non vero adhoa, quæ ut æs alienum non æſtimatur, ſed primogenitus eam ſolvit, ceu intrinſecum Feudi onus, & ab eo inſeparabile, ut ſuppleat perſonale ſervitium. Afflict. *dec.* 253.), vitæ, & militiæ quantitas haud difficulter conſtabit; & ut plurimum tertia fructuum pars æqua lance inter ſecundogenitos dividenda. Hinc vita, & militia partim legitimæ aſſimilatur, qua-

tenus ad ejus inſtar taxatur ; partim alimentis, quatenus ob ſecundogeniti mortem extinguitur. Itaque in ea taxanda, ad exemplum legitimæ, ſpectatur tempus mortis Feudatarii, quandocumque petatur. De Ponte *conſ.* 79: nec augetur, nec minuitur, auctis, vel deminutis Feudi reditibus. De Franchis *dec.* 61. *n.*10. Aliud dicendum eſſet, ſi ex quavis nova cauſa acceſſiones Feudo factæ ſint, quæ a prædeceſſore Feudatario originem trahat. *d.dec.* 61. Sed contrarium deciſum refert de Afflictis *dec.*82. Semel autem ea portio debetur. Petrus Gregorius *tract. de vita*, & *militia*. Quod dictum eſt, reſpicit Feudum antiquum. Nam in Feudis novis, quæ recens a patre quæſita ſunt, ſuccedit in corpore Feudi primogenitus; ſed ſecundogenito optio data eſt, vel vitam, & militiam petendi, vel partem pretii, quo Feudum adquiſitum eſt. Pretium vero illud ſpectatur, quo Feudi emtio celebrata eſt, non illud, quo auctum, ac deminutum forte Feudum valeret tempore ſucceſſionis; Capyc.*dec.*2. Vinc. de Anna *ſing.*20. Minad. *in Conſt. in aliquibus*, *in rubr.* Hanc vero pretii partem jure collationis, non petitione hereditatis deberi, receptum eſt per S.

Con-

Conſilium, teſte Rovito *deciſ.* 30., licet is idem contrarium tueatur in *Pragm.*24., & 25. *de Feudis*. Si enim deberetur petitione hereditatis, judicium foret univerſale, & reſpici deberet pretium Feudi tempore mortis Feudatarii, cum defertur hereditas; atque id dictis adverſaretur. Quod autem de Feudo novo diximus, locum habere putarim non minus in Feudo a patre empto, quam in iis, quæ ſine pretio, ſolis meritis ſunt adquiſita: in patris enim patrimonio erga Principem merita, quæ omnem progeniem nobilitant, quodammodo eſſe cenſentur. Pro actione autem ad vitam, & militiam, vel pretii partem in Feudis novis, quam maxime Jus Feudale ſecundogenitis favet. Multiplici namque eos actione donat; & quidem tam perſonali contra primogenitum, quam hypothecaria, vel in rem ſcripta, contra tertium poſſeſſorem, etiam recta via; cum e contrario feminæ pro earum paragio in ſubſidium contra tertios poſſeſſores agere poſſint. Verum ſi contra Dominum agatur, quando Feudum ei aperitur, pars pretii in Feudis novis peti nequit; ſed tantum vita, & militia a ſecundogenitis; ac paragium a feminis. Quoniam in hac

ſpe-

ſpecie actio tantum perſonalis competit contra ſingularem poſſeſſorem, uti eſt Fiſcus. *L.* 1. §. *ſi heres. ad Trebell.* Neque partem pretii in Feudis novis peti poſſe a ſecundogenitis, ſi in eorum adquiſitione interpoſita fuerit clauſula, *ſexus*, *&* *ætatis prærogativa ſervata*, ſcribit Camerarius *in L. imperialem*. Dicunt etiam Doctores, vitam, & militiam deberi *ex corpore Feudi*, quia ejus onus intrinſecum eſt; & *in corpore*, quia ſi Feudum pereat, nihilque ſuperſit, ceſſat illius præſtatio. Heic adnotandum, quod ſi primogenitus ſe abſtulit de medio, ita ut Feudo potiri nequeat (veluti ſi ad Clericatum eſt promotus. *De Franch.dec.*20.), ei etiam a ſecundogenito deberi vitam, & militiam: deberi etiam ſecundogenito ab obitu patris, licet ab eo ante Patris fatum, refutatum fuerit Feudum primogenito, etiam contemplatione matrimonii. Tandem, cum & ipſe pater in teſtamento vitam, & militiam conſtituere poſſit, ſi is aliquid reliquerit legati nomine, an ſit in illius compenſationem, ambigitur. Affirmant multi, exemplo dotis, cum qua compenſatur, quod alia ratione filia a patre accepit. *L. ſi cum dotem.* 22. §. *ſi pater ff. ſol. matrim.* A-
lii

lii probant diſtinctionem Pauli Caſtrenſis *ex L.bujusmodi* 84. §. *cum pater. de Leg.* 1.; & quando debitum eſt in quantitate, legatum in ſpecie, nullam admitti compenſationem, affirmant. Proinde ſi legatum a patre relictum ſecundogenito erit in annua quantitate, præſertim ſi ex eo poterit vitam commode vivere, fit ejus compenſatio cum vita, & militia. Hactenus de maſculis ex Jure Feudali Neapolitano. Si autem maſculi proximiores deſint, femina, ut dixi, in ſucceſſione præfertur: ac in Feudali ſucceſſione proximitas ſanguinis præ agnatione potior eſt. Natura enim ſtrictiorem conjunctionem præfert, quam civilis opinio: ex qua agnationis privilegia ſuſtinentur. Id Jus noſtrum Feudale ſinit, jubetque, ut non ſolum vetuſta equitum ſerie Reſpublica effloreſceret, verum etiam ut novæ in meliorem fortunam erigantur familiæ. Quod ſi in eodem gradu plures inveniantur feminæ, etiam natu prior præfertur natu minoribus. Verum ſi de maſculis agatur, præfertur tam ſi tempore ſucceſſionis celebs fuerit natu major, quam ſi maritus: ſi de feminis, ac tempore ſucceſſionis primogenita nupta reperiatur, &

dotata a Barone fuerit, excluditur a ſecundogenita, quæ nondum viro ſit tradita. Conſt. *ut de ſucceſſionibus*. §. *filiæ*. *de ſucceſſ. Nobil. in Feud.*. Ita leges maxime iis conſulunt, quæ ſtatum aſſequutæ non ſunt, quam illis, quæ jam alieno non indigent auxilio; ac ſuſcepto viro, ſuam firmarunt conditionem. Ut autem id obtineat, neceſſe eſt primo, ut dos ab eo patrimonio ſit profecta, in quo Feudum reſidebat; neque primogenita excluditur, ſi ab alio fuerit dotata: ſecundo, ut ea de re in tabulis nuptialibus primogenita monita fuerit (quod multis placet, impugnant multi): tertio ut ſit deducta in domum viri: quarto denique, ut dos ſit congrua, & jam ſoluta. Actus enim dotationis, ut primogenitam excludat, perfectus eſſe debet, & plene conſummatus. V. Yſern. & Afflict. *in cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. Feudi*; *& in Conſt. ut de ſucceſſionib.* Jam vero quæſitum eſt, an nepoti, neptive ex primogenita jam dotata, locus fiat ad excluſionem ſecundogenitæ. Et ſiquidem cum feudatarius decedit, primogenita vivat, ſecundogenita procul dubio admittitur: repræſentatio enim non obtinet, niſi cum defecit proximior gradu, Bartol.

in

in L. 2. *ff. ad S.C. Tertull.* Idem deducitur ex *d. Conſt. ut de ſucceſſionibus*. Quod ſi primogenita, vivente patre, jam deceſſit, ejus liberi ſuccedunt. Nam d. Conſt. ad ſpeciem expreſſam eſt reſtringenda: concepta autem eſt de filia dotata: igitur ad neptem produci non debet. Adhæc poſt Paulum Caſtrenſem *in L. in quartam ff. ad L. Falcid.*, Doctores ſcribunt, dotem filiæ datam, quæ vivente patre deceſſit, non imputari in legitimam nepotibus ex ea. Inſuper quoties agitur de ſucceſſione ad Feudum matris, primogenita dotata ex bonis patris, non excluditur: immo ne quidem ſi fingamus, patrem ſimul cum matre dotem tradidiſſe; quia obligatio matris cenſetur potius fidejuſſio. *DD. in L. vir uxori. §. ult. ff. ad S.C. Vellej.* Olim non levis quæſtio fuit, an ſoror a fratre dotata de bonis communis patris, excluderetur a ſucceſſione ejuſdem patris in Feudo de Jure Francorum. Et licet Interpretes *d. Conſt.* excludi ſcripſiſſent, Conſtitutio tamen Reginæ Johannæ II., quæ legitur in *Pragm.* 1. *de Feud.*, favore ſororis lata fuit; eaque ob cognomen mulieris, quæ occaſionem dederat legi, appellata fuit *Filingeria*. Cum enim

Catharina filia Comitis Abellini, in matrimonium a patre collocata fuiſſet Johanni Caracciolo, qui Johannæ II. erat a conſiliis, obiit poſtea filius primogenitus dicti Comitis, cui feudum poſt patris mortem obvenerat, nullis relictis filiis, nec aliis fratribus. Hinc lis inter Philippum patruum feudatarii jam mortui, & dictam Catharinam; & pronunciatum fuit pro ea. Interim poſt hanc Conſtitutionem, ſororem dotatam a fratre de paragio ſuper bonis feudalibus relictis a patre, non excludi a ſucceſſione fratris, Pragmatici ſcripſere: tum ſi primogenita cum dotem accipit, proteſtetur, ſe non renunciare feudi ſucceſſioni, id nullius momenti eſſe, Yſern. *in d. Conſt. ut de ſucceſſionib.*, etſi pater, aut frater proteſtationi conſentiat. *arg. L. nemo* 55. *ff. de legat.* Non negaverim tamen, nonnullis interpretibus aliud placuiſſe, ubi Feuda ſunt hereditaria, ſicuti in noſtro Regno: qum patris fratriſve pactum, & voluntas obſervanda ſit ab herede; & propterea a ſecundogenita nondum nupta. Sed hoc in loco quædam primum de paragio generalia, dein peculiaria de paragio ex Feudo debito delibare, opportunum duco

co. In anteceſſum autem obſervari opus eſt, paragium in locum legitimæ ſucceſſiſſe, & in multis cum legitima convenire, uti ſcribunt, qui omnia ex Romano Jure deducere ſatagunt; licet negandum non ſit, in multis a legitima differre: deberi item paragium mulieri, cum nubit; non vero fructus antea perceptos, modo ea fuerit a fratribus exhibita, Capyc. *dec.* 158., de Franchis *dec.* 559.; nuptæ deberi ad legitimæ modum; nondum nuptæ, adhuc ſupra legitimam, Afflict. *dec.* 160.; non vero ſupra virilem partem, Pragmatic. *dec.*57., & diligentius a fratre conſtituendum; nec facile queri mulierem de paterno judicio. De Marinis *in obſ. ad deciſ.* 444. *Reverter.* Poteſt autem paragium ſtatim, mortuo patre, peti; & ad legitimæ modum erit adſignandum. Afflict. *in d. Conſt. in aliquib.* Si vero mulier a patre dotem acceperit, adhuc paragium in bonis matris ad legitimæ modum ei pertinet, Afflict. *dec.*348.; etiam in hac Civitate; quidquid dicat Rovitus *Conſ.66.*: licet Jure hujus Civitatis non ſcripto mulier excludenda ſit a ſucceſſione omnium conjunctorum ex eo latere, unde dotem jam accepit. De Fran-

 chis

chis *dec.* 87. Ex Conſt. *in aliquibus* idipſum in aſcendentium ſucceſſione afferi poterit. Petent autem paragium mulieres non hereditario jure (hinc ad heredes etiam extraneos illud tranſmittunt, Galeot. *Controv. Forens. II.* 15.), ſed adverſus fratres, eorumque heredes condictione ex lege, quæ nullam complecteretur hypothecam; ut *in d. Conſt.* Sed Yſernia *in eamd. Conſt.* tacitam hypothecam mulieribus in ſubſidium concedendam, ſcripſit, in hereditariorum bonorum poſſeſſores, *de Franch. dec.* 119: nimirum, ut Tapia ait, *J. Regn. Lib. VI. tit.* 11., ad legitimam portionem nanciſcendam. Verum in Neapolitano diſtrictu tantum, ſi fratres maritare ſorores diſtulerint, uſque ad 16. annum expletum, hæ maſculorum ius conſequuntur. Quum vero communiter a totius Europæ Gentibus Jus Romanum exceptum fuerit, ac vetus illa regula, mulieres a ſucceſſione excludendas eſſe, elanguerit, ſæpe de earum ſucceſſione, & læſione in Foro quæſitum. Hinc renuntiationes ſucceſſioni parentum, & cognatorum, a mulieribus nupturientibus, moribus noſtris contra Jus Romanum inductæ. Num, ſi parentes ſine filiis maſculis decedant, illæ, quæ jam re-

renuntiaverant, ſuccedent? Nimirum, ſi parens inteſtatus deceſſerit, ſuccedent: nam renuntiatio in maſculorum favorem, hoc eſt fratrum, facta cenſetur; niſi aliud convenerit, De Marin. Reſol. *II.* 189.: tum nuptæ una cum innuptis admittentur, ſi dotem conferant; niſi aliud convenerit. *idem Reſol. II.* 193. Num, ſi feminæ ex humanis exceſſerint, priusquam eis parentum, & cognatorum hereditates fuerint delatæ, earum filii poſſint ſuccedere? Et negativa ſententia probabilior eſt; cum nemo juri alterius renuntiare queat. Faber *tit.C.de Pact.* Ceterum a mulieribus, & cautius a viro, eurema peti ſolet, quod dicitur Marantæ *in diſp.9.* Obtinet etiam apud nos, renuntiationem reſcindi poſſe, ſi mulier enormiter læſa probetur. De Franch. *dec.*109.: renuntiatio enim eſt veluti donatio ob cauſam. Sed id non facile permittendum, ſi pater dotaverit, ob incertum facultatum eventum, quæ augeri, atque imminui potuiſſent. Quoad vero attinet specialiter ad paragium ex Feudo, obſervandum, quod licet communi Feudorum Jure femina non admittatur ad ſucceſſionem, ideoque nec ad legitimam ſuper Feudis, *arg. L. nam ſi parentibus ff. de inoff.te-*

ſtam.; attamen in Regno, uti dixi, ad ſucceſſionem admittitur, maſculo non extante; alias dote de paragio tantum ipſi conſultum eſt. Quoad actionem ad obtinendum paragium, receptior ſententia ea videtur eſſe, quæ perſonalem in rem ſcriptam ſtatuit; itaut ſequatur quemcumque Feudi poſſeſſorem. Hinc dicitur, eam non tangere Feudum, ſed perſonam Feudatarii. Debetur autem paragium non ſolum ex Feudo adquiſito per ſucceſſionem aſcendentium, verum etiam collateralium. Staib. *cent. II. Reſol.* 102. *num.* 59. Porro femina præfertur in obtinendo paragio omnibus creditoribus fratris Feudum poſſidentis, licet hi Regio aſſenſu muniti ſint. Staibanús *Controv. Forenſ.*121. *Lib.II.* Ita bis a S. R. Conſilio, junctis aulis, deciſum fuiſſe, teſtis eſt locupletiſſimus Anell. de Amato *conſ.*42. Nam obligatio, quæ per fratrem contrahitur, intelligitur, deducto ære alieno, ſeu intrinſeco Feudi onere, uti eſt dotatio. Sufficit autem unicum in Feudis præſtari paragium; ita ſane, ut mulier dotata in bonis Feudalibus patris, paragium alterum in Feudo materno non conſequatur. Ita agnationum decori proſpectum eſt, ne me-

melior feminarum, ob tot dotationes evaderet conditio. Præterea in Feudis de Jure Francorum præſtatio paragii fieri debet non in portione corporis Feudi, ſed in pecunia. Nam ex hoc Jure Feuda dividi nequeunt, & integra quoquo tempore remanere debent. Yſern. *in Conſt. in aliquibus*. Tum feminæ a ſucceſſione Feudali excluſæ, faciunt partem favore primogeniti, qui eas dotare tenetur, ubi agatur de liquidanda vita, & militia ſecundogenitis debita, ut poſt Reverter. *deciſ.* 1. *Lib. I.*, & *deciſ.* 58. *Lib.* 4., ſcribit de Roſa *Conſult.* 29., contra Capycium *dec.* 158., & Tapiam *dec.* 44.: prout e contrario filii ſecundogeniti, ad æqualitatem ſervandam, partem faciunt in liquidatione paragii. Summa autem paragii ſtatui debet, non attentis Majorum exemplis, ſed facultatibus feudatarii, familiæ decore, filiorum numero, ceteriſque. Ejus intereſſe, ſicuti vulgo appellatur, feminis non debetur a die mortis teſtatoris, ſed litis conteſtatæ. *de Marinis ad Reverter. dec.* 1.: dum enim petitur, mora eſſe incipit. Ceterum ſi frater in mora ſit in ſolvendo paragio, ſoror, quamvis Neapolitana, jura maſculi minime adquirit, hoc eſt non habet vitam, & militiam.

tiam. Napod. *ad Conſ. ſi moriatur*. §. *eas autem n.* 48. Denique cauſæ dotis de paragio ſuper Feudis poſſunt compromitti ſine Regio aſſenſu . Nam eæ Feudi ſubſtantiam non tangunt . Aliæ vero feudales cauſæ ob Conſt. *Conſtitutionem Divæ memoriæ. tit. de revocat. feud.*, & Pragm. *odia*, *quæ inter conjunctos*, ſine Regis aſſenſu compromitti non poſſunt: immo nec etiam lis, an vita, & militia debeatur; idque Juriſperitorum interpretatione. De Afflict. *dec.*43. Poſtremo loco hujus §., cujus longitudo utilitate , ut ſpero , compenſatur , de dotario nonnulla adtexere conſtitui. Quando enim feuda evaſerunt hereditaria , & mulieres ad ſucceſſionem admiſſæ, atque illa in commercio eſſe cœperunt , non ſolum dotem ſuper Feudis conſtitui , ſed & dotarium Leges permiſere. Dotarium, quod a Græcis *υποβολον* , Harmenopul. *tit.*4., a Gallis *doarium* dicitur, erat olim certa pecuniæ quantitas a viro futuræ mulieri, ſi ipſe prior deceſſerit, conſtituenda; in cujus locum poſtea *anteſatum* ſuffectum eſt. Dotarium vero non eſſe profectum a donatione propter nuptias , ſecundum Romanum Jus inſtituta , poſtquam in Orientem Impe-

perium tranſlatum fuit, V. Cujac. *obſ. VI.* 4., ſed a Langobardorum *morginca*, doctiores tenent. Murat. *Diſſert.* 20. Apud Langobardos autem mulier viro ſuo dotem minime ferebat (quod pleriſque Gentibus placuit V. Perizon. *de L. Vocon.*, & Salmas. *de modo uſur. cap.* 4.), ſed tantum *faderfium*, quod cum noſtris paraphernalibus bonis convenit: & vir *mephium*, licet non pactum, dare cogebatur, modo matrimonium *ad morganaticam* contractum excipias. Marten. *Theſaur. anecd. p.* 141. *Fadelfii* autem maritus, utpote Mundualdus, adminiſtrator erat, & *mephii* uſufructuaria, donec viveret, uxor. Tum Langobardi ſicuti *mephium*, ſeu *metam* uxoribus promittebant; ideſt certam pecuniæ quantitatem, quaſi eas coementes, ita etiam *morgengab*, quæ quarta pars fuit bonorum viri; uti legere licet *in Lib. II. LL. Langob. tit.* 4. In Italia ob populorum, ac Juris mixtionem (§. 27.), vocum etiam harum *dotis*, *maritagii*, *donationis propter nuptias*, *dotalitii*, confuſio emerſit, ut & quod ſponſus ſponſæ, & quod viciſſim illi hæc conſtituebat, eæ deſignarent. Heinecc. *Elem. J. Germ. Lib. II. tit.* 11. §. 244. Interim cum Rogerius

ſua

ſua Conſtitutione *ſcire volumus* omnem feudalium rerum alienationem inhibuerit(§.68. *in fin.*), etiam mephium, ſeu dotarium, quod ſponſæ ſponſus conſtituere debebat, eam legem complexam fuiſſe, ſuadebat interpretationis ratio. Quo factum, ut Feudatarii, qui allodia non habebant, mulieres vix invenirent. Proinde Rogerius idem allatæ regulæ exceptionem addidit in Conſtitutione *ſi quis Baro. tit.de dotario conſtit.*: *ſi quis Baro, vel miles uxorem duxerit, & tria feuda habuerit, liceat ei unum dotarium uxori ſuæ de tribus feudis conſtituere* (vel hypothecæ ſubiicere). *Si autem pauciora habeat*, ſecundum qualitatem, & quantitatem Feudorum, dotarium *ei in pecunia* (ſuper feudalibus fructibus), *conſtituere permittimus ..... dum tamen caſtrum, unde Baronia, vel Comitatus nomen aſſumpſit, in dotarium conſtituere non poſſit*. Quoniam vero mulieri jam viro viduatæ quæſitus uſusfructus Germanicus conſtituebat ſemiplenum dominium; hinc Guilelmus I. Conſt. *mulier quæ dotarium, tit. de dotariis conſtituendis*, cavit, eam *poſt mortem viri heredem, vel Dominum Baroniæ* (eum ſcilicet, qui ex inveſtitura vocabatur ad utile Feudi dominium) *de dotario aſſecurare*

te-

teneri, eique jusjurandum fidelitatis præſtare: *videlicet de vita, membris, & captura corporis ſui; & quod non quærat artem, vel. ingenium* (nimirum calliditatem. V. Cangium *in voc. ingeniare*; & *ingeniari*), *qualiter prædictum dotarium de Baronia, vel Comitatu ſubtrahatur, ſalvo per omnia mandato ſuperioris domini: quod ſi non præſtiterit, ter ſubmonita, per dominum poterit diſſaſiri*, h. e. a poſſeſſione deturbari: inſuper *ſervitium* feudale *Curiæ preſtare* teneri. Aſſecurationis ſane jusjurandum a ſubfeudatariis quoque Baroni, a quo ſubfeudum referunt acceptum, præſtandum eſt; ejuſque formulam habes in Conſt. *Domini a Vaſallis*. Tum Guilelmus ſanxit, *homines dotarii debere aſſecurare dominam, ſalvo jure per omnia dominii Comitis, vel Baronis*. Fridericus addidit in Conſt. *Licentiam Baronibus*, quod ſi *unum tantum, & dimidium habeat, dimidium Feudum in dotarium conſtituere licere. Ceterum ſi unum tantummodo, non in terra, ſed in pecunia uxori ſuæ pro qualitate Feudi*, dotarium conſtituere. Nimirum Carolus II. in Cap. *mulier dotarium* expoſuit, dotarium eſſe tertiam feudalium partem: deberi item,

ſe-

ſecundum veterem Nortmannorum morem, *dote data, vel non data*. Verum mulieri Jure Langobardo viventi, deberi etiam mephium, ſeu quartam ſuper viri allodialibus, Matthæus de Afflictis, & Carolus de Tocco obſervarunt. Quæ omnia ſecundum Langobardorum, Nortmannorumque leges, non vero Romanas, intelligenda ſunt. Jam non ſolum dotarium, ſed ne dotes quidem filiabus conſtitui in Feudis potuiſſe, ex allata Conſtitutione *ſcire volumus*, exploratiſſimum eſſe debet. Verum Guilelmus in Conſt. *fratribus ob dotes* ſtatuit, *fratribus* (forte & de parentibus idipſum juris erat) *ob dotes ſororum ſuarum, ſi mobilia, vel hereditagia* (allodia) *non habeant, ſororibus ſuis partem feudi permittimus obligare; & ſi tria feuda, aut plura habeant, unum ex eis in dotem ſorori dare poſſunt. Ut tamen in omnibus ſupradictis, quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium conſtituitur, matrimonium ipſum de ſpeciali noſtra licentia contrahatur: aliter omnes conventiones nullas vires habebunt*. At quoad hoc poſtremum, Feudatariorum querelas Falcandus refert apud Murat. *tom. VII. R. Ital.* Attamen id conſentaneum erat Gentium Juri,

ri, ex quo nuptias nulli inire permittebatur ſine ejus licentia, ſub cujus auctoritate ſuberat. Heinecc. *Elem. J. Germ. Lib. I.* §.46. V. Tilium *in collect. Regum.*, *&* *rer. Franc.* Adhæc cum vel per dotem, vel hereditatem Feuda ab una in aliam familiam abire poſſe, inductum fuiſſet, Juris Feudalis manifeſta ratio poſcebat, Regi probari oportere eas familias, quibus per feminas feuda deferrentur (§. 58.)

§. 98. *De ſucceſſione Collateralium in Feudis.*

Deficientibus deſcendentibus, collaterales ad Feudi ſucceſſionem admittuntur. *II. F.* 11. *&* 50. Jure Feudorum communi in antiquo Feudo frater fratri ſuccedit. *cap.* 1. §. *his vero deficientibus. tit. de ſucceſſ. fratr. II. F.* 8., *&* 11.: vocatus enim eſt in Inveſtitura. Non ita ſe res habet in Feudo novo. *cap.* 1. *de fratrib. de novo feudo inveſtitis*: cum Inveſtitura concepta ſit *pro ſe*, *&* *heredibus ex legitimo corpore deſcendentibus*. Sed & quandoque in novo collaterales ſuccedunt, uti in *I. F.* 20., ſi in conſtituendo Feudo id actum ſit; ſi fratres ſint conſortes, omniumque bonorum

rum ſocii, & non ignorante Domino communi nomine, communive pecunia ſit Feudum adquiſitum. Cujac. in *II. F.* 12.; ſi Feudum individuum duobus ſimul conceſſum, Vultej. *l.* 9. *n.* 160.; ac ſi duobus Feudum conjunctim poſſidendum legatum ſit: altero enim deficiente, alter ſolidum jure non decreſcendi capiet. Vult. *d. loco n.* 106.: licet in Feudis nullum locum eſſe juri adcreſcendi, probet inter alios Scipio Gentilis *tract. de J. adcreſc. in fin.* Qui autem ſuccedendi jus habet, non ſolum eſſe debet ſanguine conjunctus ultimo morienti, ſed etiam deſcendere ex corpore primi adquirentis. Hinc frater conſanguineus non ſuccedit in feudo antiquo materno, nec uterinus in paterno. Qua in re a Romano Jure ſeceſſionem fecit Feudalis Juriſprudentia. In Feudis namque linea ſpectatur, unde proveniunt, non autem duplicis conjunctionis vinculum. Proinde ex Langobardorum legibus, quibus feudum diviſionem recipit, ſuccedit utrinque conjunctus cum conſanguineo fratre in feudo paterno; & utrinque conjunctus cum uterino in materno. Ubi vero Jure Francorum ſucceditur, primogenitus admittendus eſt. Tum ſi germani fratres

cum

cum fratrum liberis concurrant, ſoli maſculi admittuntur ex virili ſexu, *I. F.* 8. §. 1., non ex femineo deſcendentes, *II.F.* 11., & ſucceſſio fit in ſtirpes. *I. F.*1. §. 2; *& tit.* 8. *&* 14. §. 1. *II. F.* 11. Solis vero fratrum liberis extantibus, ſucceditur in capita: idque omnibus recentioribus Interpretibus probatur, uno ferme excepto Sonsbec. *part.* 9. *n.* 100., cui opponitur Borcholt. 17. *n.* 30: eaque ſententia a Carolo V. in Comitiis Spirenſibus anno 1529. confirmata, etiam Jure Feudali obtinet. Cujac. *Feud. II. tit.* 11. Duaren. *c.* 11. *n.* 14. Cum enim hoc Jure contrarium proditum non fuerit, Jus commune obtinet, juxta regulam *II. F.* 1. (§.29.). Poſt fratres, fratrumque filios Jure quoque Feudali, *II. F.* 11. 24. *&* 50., vocantur qui *gradu* ſunt *proximiores*; nimirum Vaſallo defuncto non primo adquirenti. *d. tit.*11., uti ſupra innui (§.97. *pag.*324.) Et quidem antiquitus uſque ad fratres patrueles, *I. F.* 11. §. *hoc quoque ſciendum*, ideſt ad quartum gradum, *I.F.*8. §.1. (Ecce; graduum computatio fit ſecundum *leges*, *II. F.*37. *c.*1. *in fin.* non Langobardicas, ut ibidem vult Hotomanus: nam hæ ſemper cum adjectione aliqua allegantur, *II.*

F. 22., *I. F.* 10., ſed Romanas, quæ per excellentiam intelliguntur. *I. F.* 1. §. 3. *II. F.* 1.; & ita *geniculum*, ſeu generatio computatur. *I. F.* 1. §. *pen. II. F.* 52. *c.* 2.); poſtea uſque ad gradum ſeptimum, *d.* §. 1., & tandem in infinitum, ſi Feudum ſit paternum, *I. F.* 1. §. 4., *II. F.* 31. & 50. Eſt pariter ſucceſſio *collateralium*, uti dicitur, *aſcendentium*, modo & ii ex primo adquirente deſcendant. *II. F.* 19. *in fin:* nam poſt Conradi Conſtitutionem *in LL. Langob. Lib. III. tit.* 8. §. 4., Lotharius patruum ad ſucceſſionem admiſit. Quoniam vero non ſolum linea, unde Feudum provenit, ſed & gradus proximitas ſpectanda eſt; inde ſequitur, in feudo antiquo fratrem ultimi morientis excludere patruum ejuſdem; tum filium fratris ſimul cum patruo admitti, ſi Feudum ſit dividuum: etſi alii ſecus dicant. Quod ſi paternum ſit Feudum, patruus excluditur, quia non deſcendit ex corpore primi adquirentis. *cap.* 1. *de nat. ſucceſſ. feud.* Inſuper patruus excludit patruelem defuncti feudatarii, ſi agatur de Feudo ab avo adquiſito; & amita quoque, ubi feminæ ſuccedunt, prout in Regno, illum excludit. Patruus magnus præterea a pronepote non repel-

pellitur, quidquid dicat Sonsbec. *tract.feud. par.9. concl.7.*; ſed ut Civili Jure *Nov.*118. *c.* 3., ita & Feudali *II. F.*1., ſimul ſuccedunt. Vultej. *d. loc. n.* 110. Modo gradatim videamus, quid apud nos de collateralium ſucceſſione in Feudis cautum fuerit. Et in Regno quoque, deficientibus filiis, ad inteſtati Baronis ſucceſſionem in Feudo antiquo vocantur fratres, & ſorores cum prærogativa ſexus, & ætatis, ſive ex utroque, ſive ex uno latere defuncto jungantur, *Conſt.ut de ſucceſſionib. verb. ex collaterali linea venientes &c.*, ubi generaliter aſſeritur, fratrem fratri ſuccedere, nulla diſtinctione facta inter Feudum antiquum, ac novum; & *Cap. Regni conſiderantes*; ubi a Carolo II. Andegavenſi extenſa fuit ſucceſſio ad eos quoque fratres, & ſorores, qui non eſſent ex eo latere conjuncti defuncto, ex quo ei Feudum obvenerit, non obſtante clauſula Inveſtituræ *ex corpore*. Sed hoc Capitulum de feudis antiquis conceptum fuit. An porrigendum foret ad nova, diſputatum eſt. V. Georgium *alleg.*21., & Marcianum *tom.*2. *diſp.*89. Honorius in ſuis *Capitulis* extenſum voluit, *niſi lex conceſſionis in præmiſſis aliud induxiſſet*, h. e. niſi adfuiſſet in

Inveſtitura clauſula *tibi*, *&* *heredibus ex corpore*, tunc temporis jam inducta. Et Fridericus II. cum excluſit a Feudis novis fratrum filios, videtur fratres admittere voluiſſe. Afflict.*in d.Conſt.* Marcian. *exercit. fiſc. c.9.* Urſinus *de ſucceſſ. Feud. p.2. art.1. n.27.* Dilucidius poſtea Rex Philippus II. *Pragm.* 18. *de Feud.* cavit, fratres ſuccedere poſſe non modo in Feudis antiquis, ſed etiam novis ſub antiquorum charactere conceſsis: tum in Feudis novis, quæ obveniunt a privatis, fratres, ac ſorores ſuccedere, etiamſi adſit clauſula *pro heredibus ex corpore legitime deſcendentibus*; modo contrahentes careant liberis. Ita ſubrogatum eſt dictæ Conſtitutioni *ut de ſucceſſionibus*. Verum eam clauſulam *Pragmaticæ* 18., (ſc. modo tempore emtionis non habeant liberos, quæ, ut facilior aditus tranſverſalibus pateret ad feuda, antea deleta intelligebatur in contractibus initis cum Regia Curia), intelligi etiam ablatam a contractibus inter privatos initis, juſſit, inſtantibus Baronibus, idem Philippus II. *Pragm.* 22. *&* 25. *eod.* Rurſus ad dilucidationem Capituli *conſiderantes*, locum quoque habere nedum in Feudis emtis a Regia Curia, aut privatis, ſed & in Feudis Prin-
ci-

cipali munificentia obtentis, vel a privato legitime donatis, cavit anno 1720. Carolus V. Cæſar *tom.* 1. *Privileg. Regn. in fin.* Itaque ſi de fratribus unilateralibus, ac de Feudo antiquo agatur, Fridericus II. ad ſucceſſionem uterinos admiſit *Conſt. ut de ſucceſſionib.*, vbi *ſive ex utroque*, *ſive ex altero tantum*; etiamſi ii non fuerint *ex corpore* primi adquirentis, quæ formula ſub Carolo I. invecta fuit in Inveſtituris: atque ita contra Marinum de Caramanico *in d. Conſt.*, Andreas de Yſernia *in d. Conſt.*, & magnus cum eo facit Interpretum numerus *ob d. Cap. Conſiderantes*. Sin agatur de feudo novo, extat Privilegium Philippi II. *in Pragm.* 29. *de Feud.*, ex quo vocari conſtat *fratres*, & *ſorores uterinas*, & *eorum filios utriuſque ſexus*. Sed quidam DD. id intelligendum rati fuere, ſi uterinus cum Fiſco concurreret, non item ſi cum alio agnato, remotione quidem, ſed de corpore morientis. Id in cauſa fuit cur preces Philippo III., & IV. a Baronibus porrectæ fuerint, ut ad Feudum admitterentur uterini & ad excludendum Fiſcum, & quum deficeret perſona in gradu ſucceſſibili a primo adquirente deſcendens; exemplo ejus, quod jam Carolus V.

pro Siciliæ Regno ultra Farum decreverat. Quibus ii quidem aſſenſum dedere: *tom.2.Privileg.fol.*81; *&* 92. Sunt autem, qui uterinis plus æquo favere ſtudentes, aſſerunt, hoc Reſcriptum receptum non eſſe in Regno noſtro, nec in Pragmaticarum editionibus legi. Fuere etiam, qui Reſcriptum Philippi II., quo fratres uterini ad ſucceſſionem vocabantur, intelligendum eſſe putarunt de Feudo novo, de quo tantum fuit conceptum, non de antiquo. Quapropter temperatum precibus non fuit, ad Philippum IV. & Carlum II. fuſis; & interim lites nonniſi tranſactione dirimebantur. Tandem tot, tantiſque tricis finem impoſuit, & rei veluti clavum fixit Carolus VI.Imp.Nam ei preces anno 1720. porrectæ fuere, ut quædam explicarentur, unde frequentes in Foro lites emergebant. Et Urbs Neapolitana jurgia omnia excludere volens, rogat declarari, aut concedi, ut in Feudis tam novis, quam antiquis etiam, quoquo modo adquiſitis, ſuccedere poſſint fratres, & ſorores unilaterales, quamvis conjunctio ex eo latere non ſit, a quo Feudum perveniat, & nepotes pariter ab eis deſcendentes, maſculi, & feminæ, etiam in Feudis Juris Francorum, ſe-

ſexus, & ætatis prærogativa ſervata. Precibus vero reſcriptum, quod gratiæ, quibus fratres utrinque conjuncti, aut ex uno latere, & eorum filii, fuerunt admiſſi ad ſucceſſionem in Feudis novis, non obſtante Inveſtitura concepta pro ſe, & heredibus ex corpore, locum habeant non modo in Feudis emtis a Regia Curia, vel particularibus, ſed generatim in omnibus quocumque modo legitime adquiſitis. Ex his vides, non ſolum antiquas gratias confirmatas, ſed novas etiam inductas. Cum itaque, ut me colligam, Feuda in Regno individua eſſe jam conſtet plus ſatis, proinde feudalis ſucceſſio in linea collaterali uni datur, ſervata quoque gradus, ſexus, ætatiſque prærogativa. Idcirco gradu proximior remotiorem excludit, niſi hic majorem natu vi ſubingreſſionis repræſentet. Hinc primum, uti fuſe dictum eſt, in Feudo etiam novo, ſuccedunt fratres, ſororeſve, ſecundum ſexus, atque ætatis prærogativam; tam ſi utrimque, quam ſi uno ex latere conjuncti ſint defuncto. *d. Conſt. ut de ſucceſſionib.*; etiamſi fratres ſororeſve non ſint de linea primi adquirentis, & in prima Inveſtitura adfuerit clauſula *pro ſe, & here-*

dibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus, uti ex *d. capit. conſiderantes*. Ex repræſentationis autem regula ſequitur, nepotem defuncti ex fratre ſecundogenito, etſi longiori gradu ſit, præferri fratri tertiogenito defuncti; ſicuti & neptem ex fratre primogenito, præferri ejus patruo ſecundogenito, hujuſque filio, in patrui ſucceſſione. Jo. Vinc. de Anna *Alleg*. 55. De Ponte *Lect. Feud*. 37. Afflict. *in Conſt. in aliquibus n*. 22. Atque hæc eſt generalis Regni conſuetudo; cum per *d*. Capit. *conſiderantes* etiam in linea collaterali jus repræſentationis inductum ſit. Deficientibus deinde fratribus, ac ſororibus, ſucceſſio iſthæc ad conjunctos in tertio gradu pertinet; ſcilicet ad patruos, atque amitas, cum ſexus quoque, atque ætatis prærogativa. Si vero adſit defuncti nepos, vel neptis ex fratre, vel ſorore, etſi æque ac patruus tertio a defuncto gradu diſtent, fictione tamen ſubingreſſionis præferuntur. Igitur patruus, atque amita de communi Feudorum Jure in Feudis antiquis ſuccedunt. *cap. primi §. ſi quis miles. de nat. ſucceſſ. Feud*. In Regno accerime hac de re olim diſputatum. Sed communior opinio fuit, patruum, & amitam admittendos, non ex verbis, ſed ſaltem ex interpre-

pretatione Conſtitutionis *ut de ſucceſſionibus*, quæ de tertio gradu egit, ſeu de filiis fratrum; licet non nominatim de patruis, amitiſque. Anno autem 1507. Regi Catholico preces porrectæ fuere circa hujus ſucceſſionis explicationem. Et *Pragmatica 6. de Feudis* Baronibus gratia indulta fuit, ut patruus ſuccederet, nedum in Feudis paternis, ſed & in noviter quæſitis; quamvis in Inveſtitura adſit clauſula *pro heredibus ex corpore*. Inſuper amitam quoque, vocato patruo, vocatam cenſeri, Carolus V. declaravit anno 1570. *Pragm.* 12. *de Feud.* Ibidem jus ſucceſſionis in Feuda ad conſobrinos extenſum, patruis, atque amitis non extantibus, adeo ut illi admittantur ad ſucceſſionem alterius fratris conſobrini in Feudis a communi avo perventis; ſi & is, qui ſuccedit, & cui ſucceditur, maſculi fuerint; ac inſuper ſi ſucceſſores ex maſculis, non ex feminis deſcendant. *Pragm.* 11., *& ſequ. de Feud.* Sed Philippo II. regnante, anno 1589. eadem ſucceſſio fuit ad feminas quoque porrecta, & ad eos, qui ex feminis orirentur. *d. Pragm.* 12. Idipſum anno *1666.* Carolus II. cavit. *tom.* 2. *Privileg. fol.* 196., & Phi-

Philippus IV. *Pragm.* 34. *eod.* Ita per ea tempora ſucceſſio hæc collateralium ad quartum gradum protracta fuit, cum ad ſeptimum extenſa fuiſſet communi Feudorum Jure. At circa ſuperius enarrata multæ inter Doctores exarſere quæſtiones. Præcipuæ ſunt hæ. Prima, num admiſſio patrui, atque amitæ ad ſucceſſionem, obtineat nedum in Feudis antiquis, ſed in novis etiam? Et cum ipſe Feudatarii pater in novis Feudis excludatur, multo magis excludendi videntur patruus, atque amita. Rovitus *dec.* 94.; etſi affirmativa ſententia verbis nitatur dictæ *Pramg.* 6. *de Feud.* Altera, an in ſucceſſione fratris præferatur primogenitus unilateralis fratri germano, ſed natu minori? Et pro fratre natu majori, licet ex uno tantum latere conjuncto, poſt varias diſceptationes rem deciſam invenio apud Minadoum *dec.* 36: nec aliter deciſum tempore Alphonſi I., refert Montanus in *cap. Imperialem* §. *præterea Ducatus n.* 126. V. Rovit. in *Pragm.* 11. *de Feud.*, & Georg. *Allegat.* 21. Vi enim primogenituræ non officit duplicis conjunctionis nexus: etſi non deſint contrariæ deciſiones. Tapia *dec.* 2. Adnotandum heic eſt pro re nata, in Feudis, quæ

quæ reguntur Jure Francorum, non tam attendendam eſſe primogenituram, quam ligamen a ſtipite protractum; adeo quidem, ut ſi uterinus concurrat cum conſanguineo ſecundogenito ad ſucceſſionem Feudi paterni, hic illi ſit præferendus. Ita Flaminius Monachus *in add. ad Minadois d. dec.* 36. De hac tamen ſalebroſa quæſtione agit Molfeſius *par.* 4. *de ſucceſſionib. ab inteſt. quæſt.*40. Eamdem ad trutinam revocavit Cl. Franciſcus de Andreis in Diſputatione *An fratres in Feudis noſtri Regni ſuccedant cap.*3. §.4., pro ſucceſſione Status Laurini. Nimirum Baro in Feudo heredem inſtituerat filium ſecundogenitum, quem ex ſecundis nuptiis ſuſceperat; ob pactum initum cum Regia Curia in Feudi emtione, ut ad ejus ſucceſſionem, filium quem vellet, vocare potuiſſet. Sine liberis hoc filio mortuo, quæſtio pro ſucceſſione enata inter ejus conſanguineum prioris matrimonii, et fratrem germanum ſecundogenitum. Pro illo ſcripſit Præſes Urſinus *de ſucceſſione Feudorum par.* 2. *quæſt.* 3. Potius pro ſecundogenito utrinque conjuncto ſtetit laudatus Conſiliarius de Andreis. Sed hæc miſſa faciamas. Tertia inſuper quæſtio eſt, defuncti ne fra-

frater uterinus, an patruus ejuſdem admittendus eſſet? Uterino favendum primo obtutu videretur, quia formula Inveſtituræ pro ſe ſuiſque ex corpore, nihil hodie obſtat iis, qui non ſunt de ſtipite adquirentis. Tum uterinus eſt proximior; ac uſque ilie a Friderici ætate fuit ad ſucceſſionem admiſſus; patruus vero a Carolo V: ideoque ille in ſuccedendo vetuſtior. Inſuper in Regno hodie Feuda non habentur tamquam ex pacto, & providentia, ſed potius hereditaria, adeo ut non agnatio, aut duplicitas vinculi ſpectari debeat, ſed potius gradus proximitas, quæ legitimis heredibus pertinet. Tandem defuncti ſoror patruum excludit, quia proximior: uterinus autem eamdem ſororem excludit ob ſexus prærogativam. Ita Bartholomæus Camerarius *in cap.* I. *de Feudi ſucceſſione*, Angelus Piſanelli, Antonius Villani, aliique. Aliud placuit Marciano *diſp.*89. ac de Marinis *Reſol. I.* 126.: & ſecundum hos DD. ſemel, iterumque in R. Cam. Summariæ judicatum. Ita etiam textus in *cap. ſi aliquem* Regis Jacobi de Aragonia, quod pro generali lege in Sicilia ultra Farum fuit receptum; & ita ob gratiam Philippi III. & IV. in noſtro Regno, quæ ad
Feu-

Feuda uterinos admiſit, deficiente perſona ſucceſſibili, quæ a primo adquirente deſcendat; uti in paterno Feudo eſſet patruus V. de Marin. *Reſol. I.* 126. Quarta quæſtio eſt, an nepos fratris primogeniti patruum excluderet? Ambo ſane in eodem gradu conjunguntur defuncto: atque ob controverſiæ incertitudinem, Ottone imperante, cruento gladii judicio res committebatur, pro temporum immanitate; ut patet ex *cap. ad Apoſtolicæ. de ſent.*, *&* *re judic.* In duello nepos bis victor evaſit. Hinc deciſio ab ipſo Deo facta viſa eſt; *ut in conſ.* 125. *de Anna*; & judiciariæ deciſiones omnes nepoti favere cœperunt. Demum in vim gratiæ Caroli VI. anni 1720., quam mox retuli, feudalis ſucceſſio producta eſt ad quintum gradum in collateralibus *tom.* 2. *Privileg. in fin.* Sed quod ad quintum gradum, res dubio hodie non caret, ſi qui in eo gradu eſt, deſcendat ex femina. Ea autem quæſtio cum Fiſco tranſigi ſolet. Pro hujus §. coronide animadvertendum, deficientibus tranſverſalibus locum non eſſe conjugi ſuperſtiti, in ſucceſſione Feudi defuncti conjugis. Qua in re diſcrepat etiam a Romano

Jus Feudale ; niſi tamen diſertis verbis de conjugibus in Inveſtitura fuerit cautum. *I. F.* 15. Poteſt vero Feudum in dotem dari : ſed muliere ſine liberis decedente , non ad maritum tranſibit , ſed vel ad agnatos, vel, his deficientibus, ad Fiſcum devolutio fiet. *II.F.*15.

§. 99. *De ſucceſſione aſcendentium* .

Noviſſimo Iuſtinianeo Jure, quod ad æquitatem factum eſt, legitimas amor regit ſucceſſiones: at ſucceſſionem feudalem lex, quæ in Inveſtitura dicta eſt. Quoniam vero ex Inveſtitura feudum deſcendentibus quoque conceditur, ideo excluduntur nedum collaterales, qui ex deſcendentibus adquirentis Feudum non proficiſcuntur, verum etiam aſcendentes. Ac Feuda non aſcendere, ajunt Pragmatici noſtri. De Franch.*dec.* 3. *n.*10. Georg. *alleg.*17. *n.*8. Sane in Regni Conſtitutionibus, quibus enucleatum eſt jus ſucceſſionis in Feudis , nihil de aſcendenti linea cautum eſt . Et de Jure Feudorum in feudo novo aſcendens non ſuccedit deſcendenti , ne præpoſtera foret ſucceſſio . *c.1. de nat. ſucc. Feud. II. F.* 50. Id vero limitatur dupliciter, quod & mu-

municipali Jure locum habet. Primo cum pater Feudum Domino ita renunciavit, ut de eo filius inveſtiretur, ſi poſtea filius ſine liberis ex humanis exceſſerit, non ad fratres, ſed ad patrem defuncti redit Feudum; etſi novum ea ratione in filio feudum conſtituatur. *c. extraord. Quoddam uſu*. De Ponte *de poteſt. Proreg. tit.* 8. De Franch. *dec.* 3. Et Carolus V. Imp. *Pragm.* 11. *de Feud.* dictum privilegium patri conceſſit, ne & filii, ea feudi amiſſi duplici dolore prematur. Neque obſtat Pragm. 14. *d. tit.*, ubi idem Cæſar ſanxit, facta filio Feudi refutatione contemplatione matrimonii, & hoc ſine filiis defuncto, ſucceſſionem fratribus tribuendam fore. Id enim procedit, ſi filio donatario obeunti non ſuperſit pater. Secundo patris intuitu, ejuſque meritorum contemplatione, feudo filio conceſſo, ſi hic improles obierit, Feudum ad patrem defertur; ac Principalis liberalitas in cauſam ſuam redire videtur. In Feudo autem antiquo aſcendentes ſive per lineam rectam, ſive per tranſverſalem, deſcendenti ſuccedunt ex eodem Jure Feudorum communi. Propterea aſcendens ſuccedit in Feudo refutato, refutatario decedenti ſine liberis, tam ſi Feu-

Feudum eſſet antiquum, quam ſi eſſet novum in perſona ipſius refutantis: nam reſpectu filii, cui ſucceditur, eſt paternum, non novum. Et in hac ſpecie refutans præfertur fratribus defuncti refutatarii; uti judicatum in S.C. Joan. Vinc. de Anna. *de Vaſallo decrepitæ ætatis*. de Franch. *deciſ*. 591., & Georg. *alleg*. 17. *in fin*. Obſervandum hic eſt, quod ob Jus Feudorum commune, ſi Feudum a patre filio refutetur, hoc mortuo ſine deſcendentibus, Pater non ſuccedit, ex quo Feudum novum efficitur. Yſern. *in cap*. 1. *de nat. ſucceſſ. Feud. n*. 8. Verum id hodie in Regno ceſſat vigore Gratiæ anni 1558. *in cap. 6. fol*. 161. *in volum. gratiar*., *&* *privilegior*; reaſſumptæ in *Pragm*. 14., *&* 15. *de Feud*.; ex qua Feudum refutatum immediate ſucceſſuro retinet ſemper naturam Feudi antiqui. Vide De Ponte *d. loco* in *rubr. n*. 37. In hac autem ſpecie, turbato mortalitatis ordine, pater Feudum filio refutatum obtinet jure ſucceſſionis, non titulo reverſionis. Illud efficit, ut pater ſuccedens non ſolum ſolvere teneatur relevium, *ut in dec*. 3. *&* 591. *de Franchis*, ſed etiam debita contracta per Filium defunctum, cujus verus he-

heres pater evadit. Non adigitur tamen ad vitam & militiam, paragiumque fratribus ſororibuſque defuncti præſtandum: Nam *independenter* ab hac ſucceſſione, patris officium eſt filiis proſpicere. Johann. Baptiſt. Bilocta *conclus. feudal.* 24. Tandem ob privilegium Baronibus conceſſum a Philippo III., & IV., ſuccedit pater in Feudo novo, ſeu a filio adquiſito: at patre mortuo, feudum ad Fiſcum revertitur: non enim tranſit ad patris collaterales. *tom. II. privileg. fol.* 83., *&* 127.

§. 100. *Qui ad Feuda ſuccedere non poſſunt.*

Nonnullos eſſe, qui ad Feuda ſuccedere non poſſunt, licet proximi ſint in ordine ſucceſſorio, ſæpe obiter dictum eſt (§. 97. *pag.* 321., *&* 324.). Ita generatim exiſtimabantur olim ii, qui militiæ impares erant. Quod, temporis proceſſu immutatum eſt; cum ſcilicet perſonale ſervitium factum fuit reale, per annuam adohæ ſolutionem. Hinc feminæ in Regno opem, ære ſoluto, propter bella præſtant, atque a feudali ſucceſſione minime excluduntur (§. 97. *pag.* 327.). Quam ratio-

nem in Monachis quoque locum habere poſſe videretur: ſed ii alia de cauſa removentur. Nefas enim eſt, mundo emortuos tot negotiis diſtrahi animo, & implicari. Licet enim Eccleſia ad Feuda adquirenda inhabilis videatur, præſertim quia illa in manus mortuas inciderent; pientiſſimi tamen Principes opimis in Regno Feudis Eccleſias, ac monaſteria ditarunt (§.44.). Sed quoad ſucceſſionem ex Monachi perſona monaſteria, & Eccleſia, maxime noviſſimis Regiis litteris, omnino excluduntur. Proinde, Feudatario defuncto, ſuccedit, qui poſt monachum proximus eſt in ordine ſucceſſorii edicti; vel, ſi linea deficiat, Feudum ad Regiam Curiam devolvitur. Non excluduntur vero milites Hieroſolymitani, aliique Religioſorum ordinum Equites: a militia enim non vacant. V. Solorza. *de Jur. Indiar.* Jac. Vitriac. *Hiſtor. Hieroſol.* Franc. Mennen. *de milit. ord. orig.* Andr. Mendo *de ord. milit.* Jam generaliter Clerici in Feudis non ſuccedunt. *II. F. 26. §. qui clericus*, *& alibi*. Barthol. *Diſſ. de neceſſ. eden. tit. poſſ. c.* 4. Boehmer. *in tit. decret. de vita*, *& honeſt. cleric.* Verum aliud eſt, clericos non ſuccedere, aliud eſt, eos eſſe Feudi capaces. Senior enim

nim poteſt eos inveſtire, ſervitia iis remittere; vel per ſubſtitutum recipere (§. 44.). Quandoque autem ii ſuccedere poſſunt. V. Urſin. *de ſucceſſ. feud. par.* 1. *q.* 9. *art.* 2. Inſuper eum, qui mutus, ac ſurdus a nativitate eſt, a Feudis, interclusſo ſucceſſionis ordine, excludi, aſſerunt quidam; negant alii. In Feudales textus inter ſe diſcordes, multæ ſunt Interpretum concertationes. Gizzarellus *dec.* 44. Illum tamen non debere a Feudorum ſucceſſione eliminari, Obertus, ac Gerardus putarunt; & ita apud nos obtinet, ne duplici infelix agnatus ſucceſſor infortunio premiatur; & ne filiis, quos ex nuptiis ſuſcipere poteſt, præjudicium fieret, ſi contra Inveſtituræ formam, alio in remotiori gradu admiſſo, ipſi excluderentur. Contraria ſententia in iis textibus refertur tantum, non item probatur. Idipſum & in cæco obtinere, rationis ſimilitudo ſuadet. Porro decrepitæ ætatis homines, & pene alienatæ mentis, retinere Feuda poſſe, non utique adquirere, multi ex eo judicant, quod durius ſit, quod adquiſitum eſt, auferre, quam negare adquiſitionem. Contra benignitas poſcit, ut & adquirere ii poſſint; eorum namque defectum ſup-

plet legale curatoris ſubſidium (§. 42., *&* 43.). Denique an jus ſuccedendi in Feudis competat feminis, adoptivis, & legitimatis liberis, alibi vidimus (§. 97.).

§. 101. *De Feudorum refutatione*.

Proximum ſucceſſioni locum occupat refutatio, ex qua ipſa ſucceſſio repræſentatur. Etſi enim apud Romanos nulla exſtet viventis hereditas, vulgo tamen ex Feudorum Juriſprudentia, quæ ut in multis, ita hac in re ab Juris communis regulis deflectitur, longeque aberrat, refutatarius poſt refutationem heres in Feudo cenſetur refutantis; ac in eum omnia jura, quæ ad Feudum pertinent, tam activa, quam paſſiva tranſeunt. Refutatio inducta eſt præcipue, ut Feudatarius adminiſtrationis oneri ſe ſubducat; vel ut primogenitum filium decoris nuptiis ineundis idoneum reddat. Ea autem ſi fiat in proxime ſucceſſurum, Regio aſſenſu non eſt opus, quia potius præmatura ſucceſſio eſt, quam alienatio; ac ſolum refutans ſe ſe de medio tollit. Quin pacto adjecto, ut Regius aſſenſus interponatur, ſi hic non obtineatur, non infringitur refutatio. Nam pa-

pactum illud conditio non eſt ; ſed cautionis tantum cauſa adpoſitum fuiſſe exiſtimatur. At in ea ſpecie, ſi conditio quædam, aut reſervatio adjecta fuerit, ſine Regis aſſenſu corruit prorſus refutatio. Hæc enim actus legitimus cenſetur. Quare, perinde ac emancipatio, ſi filius ſit refutatarius, eum patremfamilias reddit, liberumque Feudi adminiſtratorem. Anne, rejectis conditionibus, pactiſve, uti ſimplex valet refutatio? Nonnulli affirmant, modo conditiones, pactave, non immediate, ac principaliter refutationem affecerint: iidemque negant, ſi hæc facta ſine illis pactis non fuiſſet. Merlin. *controv. forens. cent.* 2. *c.*57. Sunt qui omnino improbant: V. Fab.de Anna *Conſ.*51.: unicum enim, ajunt, eſſe diſpoſitionis contextum, neque Jus pati, ut parte diſpoſitionis infirma, alterutra tantum ſuſtineri debeat. Adnotandum hic eſt, quod licet refutatio Regio indigeat aſſenſu, ſi uſumfructum reſervet ſibi refutans, opus tamen aſſenſu non eſſe, ſi reſervatio uſusfructus facta ſit cum clauſula *ex nunc pro tunc*, *ſequuta morte*. Siquidem ex ea, uti Pragmatici docent, Feudi fructus quidem, non uſusfructus reſervatus videtur. Illi namque inter bona burgen-

fatica recenſentur, & ſine Feudi detrimento in commercio ſunt. Hic vero in ipſo Feudo conſtituit ſervitutem; ejuſque conditionem immutat; ut propterea ſine aſſenſu fruſtra conſtitui videatur. Rovit. *in Pragm.* 4. *de Feud.* De Ponte *de pot. Proreg. in tit. de refut. Feud.* Staib. *Reſol.* 173. Non deſunt tamen, qui contrariæ hærent ſententiæ, inter quos Montanus *cont.* 10. Quod ſi in proximum ſucceſſurum refutatio non fiat, Regis omnino requiritur aſſenſus. Marcian. *tom.* 2. *diſp.* 80. Facta ſine aſſenſu, ſi refutatarius tempore mortis refutantis reperiatur proximus ſucceſſor, refutatio ſuo non caret effectu. Proximitas enim tempore mortis Feudatarii ſpectatur. Profectò aliud eſt tempus, quo actus exercetur, aliud, quo perficitur. Cum exercetur, continet diſpoſitionem ejus, quod præviderí ſolet: cum vero perficitur, eſt rei prævisæ conſummatio. Atque intermedio tempore multa evenire poſſunt, unde refutatio vel compleatur, vel ruat, ac irritetur. Ceterum refutatio Feudi quaternati, ſive aſſenſu munita fuerit, ſive eo jure careat, non ſecus ac omnis alienationis actus, qui dominium transfert, in Regiæ Cameræ volu-

mi-

minibus redigi debet. *Pragm*.20. *de Feud*.

C A P. V.

DE FEUDORUM ALIENATIONE, HYPOTHECA, AC REGIO ASSENSU IMPETRANDO.

§. 102. *Qui Feudum ſine domini directi aſſenſu alienat, nihil agit, & Feudo privatur.*

FEudatario obeunte, ad quemnam Feudum tranſeat, ſuperiori Capite vidimus: continuo diſquirendum eſt, an in alios per alienationem transferri poſſit, vel hypothecæ ſubjici. Et licet Feudatarius utile dominium habeat, lex tamen obſtat, ſi velit de eodem diſponere ſine domini directi ſollemni aſſenſu, probantis novam perſonam, quæ fidelitatem minime defuturam polliceatur. *II. F*.52., & 55. Conſt. *Conſtitutionem divæ memoriæ. tit. de revoc. feud*. Nam ob alienationem ejusdem directi domini jura fidelitatis, adohæ, ſervitii, vel devolutionis, imminui poſſent. Et in alienatione Feudi hereditarii ſolus domini aſſenſus, ſine conſenſu agnatorum, ſuf-

ficit. *I. F. 6.* Proinde qui rem feudalem ſine aſſenſu alienat, (licet neceſſitate cogatur, *II. F. 19.*, vel utilitatem domino ex alienatione afferat, uti Bartholom. Camerarius contra Giphanium, alioſque), nihil agit, *L.* 5. *C. de LL:* quin feudo privatur, *II. F.* 24. §. *fin.* & 55. *c.* 1., vel ejus parte, ſi partem alienaverit, *II. F.* 38. *cap.* 1. Quoniam vero apud nos Feuda individua ſunt (§.97. *pag.* 352.), univerſum Feudum amitti, etſi pars tantum alienata fuerit, affirmari poſſet. Pœna etiam amputationis manus Notario comminata. *d. c.* 1. Tum qui ſciens mala fide emit, pretium amittit; Moles *ad dec.* 35. *Gizzarelli*; quod non venditori addicendum eſt, ne hujus melior eſſet conditio, ſed domino directo. Staib. *Reſol. Forens* 100. *n.* 59. Hinc communis Pragmaticorum opinio, uti ait Afflict. *controv. I.7.*, emtorem tam bonæ, quam malæ fidei nunquam pretium amittere, communis error videtur. Contractum vero alienationis cum clauſula reſervationis aſſenſus obtinendi, ab initio valere placuit; cum contractus conditionales Jure minime prohibeantur. De Roſa *conſult.* 15. Sin contractus nullus ſit, aſſenſus eum con-

va-

validare nequit. Jam vero alienationis vocabulum late patet, adeo ut etiam titulos comprehendat, quibus jus in re conceditur; *L.* 28. *ff. de V.S.* Quare vetatur feudatarius feudum vendere, donare, permutare, legare, in dotem dare (niſi fuerit femininum, & jus ſucceſſionis ad feminam devolutum *II. F. tit.* 13. *c.* 1.), pignerare, in emphyteuſim concedere, eive ſervitutem imponere. Nec ſervitus præſcribitur, ne fieret ipſius Feudi deminutio. Sed hoc intelligas velim de ſervitute perpetua: temporalis namque, durante Baronis utili dominio, ſuſtinetur. Freccia *de ſubfeud. Lib.* 2., qua in ſpecie ſi feudum ad dominum directum devolvitur, ſervitus omnis extinguitur, etiamſi per centum annorum curſum conſtanter permanſiſſet. In Feudis autem hereditariis, qui ſuccedit, conſtitutam a defuncto ſervitutem nequit tollere, cum teneatur factum defuncti ratum habere. Secus eſt in Feudo ex pacto, & providentia. Quod ſi Cepoll. *de ſervit. c.* 14., Clarus *feud. qu.* 37., aliique DD. ſcribant, feudatarios ſine domini conſenſu ſervitutem ſuper Feudo imponere poſſe ob *II. F. tit.* 8. *c.*1., næ ii alucinantur. Nam hujus textus mens

mens eſt, non licere Vaſallo in domini directi perniciem, concedere ſervitutem: impoſitam vero ab ipſomet Vaſallo negari non poſſe obtentu deficientis aſſenſus: dolo enim ille negaret: At ſervitus in Judicio impoſita, etiam domino directo obeſt. *II. F. tit.* 43. *c.* 1. Feudatario autem permittitur Feudum locare (ſed non ad longum tempus, h. e. ultra decennium. Clar. *feud. qu.*33. Joh. Andr. de Giorgio *in Repetitionib. feud. c.*10.); dotarium ſuper Feudo conſtituere (§.97.*in fin.*), & hypothecam pro dotis ſecuritate favore mulieris Neapolitanæ, ut infra (§. *ſeq.*) Quæritur, an in promiſſione de vendendo feudo requiratur aſſenſus. Afflictus in Conſt. *Conſtitutionem* §. *notabili. quæſt.* 11. negat; eumque ſequutus De Ponte, qui ita judicatum refert *conſ.*86., quia hujuſmodi conventio Feudi naturam minime tangit, aut ejus frangit leges. Tantum enim naſcitur ex ea promiſſione obligatio perſonalis, qua apud Judicem promiſſor cogi poteſt ad vendendum. Freccia vero *in limitatione* 7. *ad d. Conſt.* contrariæ opinioni adhæſit; & ita quoque judicatum in S. C. De Franchis *dec.*48; quia ſive immediate, ſive mediate obligatio

feu-

feudum reſpiciat, ſi aſſenſu careat, omni robore deſtituitur : & hujus promiſſionis exequutio in coactione ad vendendam rem vendi prohibitam poſita eſt. Quæritur etiam, an legato Feudo, aut donato ſine aſſenſu, quo casu utrumque irritum ac inane eſt, ipſius Feudi æſtimatio ſaltem debeatur? Quidam affirmant, ne quis voto ſuo, & ne quam diligit, perſona largitione defraudetur. Gizzarellus *dec.* 35. Pariter ſi maritus quartam in rebus feudalibus conſtituit ſine aſſenſu, debetur æſtimatio : & legata militia ſervo, æſtimatio quoque ei incapaci debetur; *L. fideicommiſſa* §. *ſi ſervo. de Leg.* 1. Lanarius *in conſ.* 8. Yſernia *in cap.* 1. §. *e contrario. de inveſtitura de re aliena facta.* At negativam opinionem plures ſectati ſunt, quia Feudum non dicitur eſſe in commercio noſtro ſine aſſenſu ; ceu ſi quis olim Campum Martium dono daret, aut legato relinqueret. Anna *Conſ.* 87. de Curte *part.* 1. *Diverſorii Feudalis cap. multoties concedens.* Vide etiam quæ ſupra diximus (§. 97. *pag.* 308.).

§. 103.

§.103.*Tacita hypotheca ſuper Feudis quæ ſit.*

Nunc pauca de pignore, & hypotheca, quatenus hoc argumentum ad Feuda pertingit. Generalis regula eſt, ea quæ vendi, & oppignerari quoque poſſe. *L.9.§.1.ff. de pign. & hypothec.* Quare tam directo domino, quam utili licet emphytheuticum fundum pignori dare ſine alterius conſenſu. Secus eſt in Feudis: nam ſine domini directi aſſenſu ea neque hypothecæ ſubiici poſſunt, neque pignori dari: cum nimirum in crediti ſecuritatem & poſſeſſio, & jus percipiendorum fructuum in creditorem tranſit; quod *Feudi tenuta* dicitur. Quinimo ſi domini directi aſſenſus a contrahentium conſenſu alius ſit, ille unice, non iſte attendendus eſt. Neque ad tempus obligationis retrotrahitur aſſenſus poſt contractam hypothecam præſtitus. Hypotheca autem expreſſa nulla eſt ſine domini directi aſſenſu, non vero tacita, ſeu legalis: in hac enim ex ipſo Jure aſſenſus intereſſe præſumitur. Et apud nos tacita ſuper Feudis hypotheca eſt favore mulierum Neapolitanarum, itemque earum, quæ Neapolitanis ſunt nuptæ, pro dotis, ante-

anteſati,atque utriuſque uſuris, ſive *intereſſe*, ut dicitur, ſecuritate. *Cap.7. privileg. Caroli V.ann.*1539. *relat. in Pragm.*8. *de Feud.V. Pragm.* 2. & 3. *eod.* Mulieres autem Neapolitanæ intelliguntur tam quæ Neapoli in lucem ortæ ſunt, quam quæ oriundæ, ſive quæ licet alibi natæ, patrem tamen habent Neapolitanum: quin etiam quæ naturales ſunt; modo oriantur ex matre Neapolitana. *De Franchis decis.* 43. & 452.: licet mulier ex injuſtis nuptiis, aut ex concubina nata non ſuccedat ad feudum: Nam Principis privilegio poteſt & ad Feudum venire illegitimus filius, ex. gr. ſi Princeps Feudum concedens *pro ſe & filiis*, ſciat feudatarium ſolum naturales filios habere. *Bald. in L. unquam C. de fideicomm.* Reverter. *deciſ.* 250. Latius extenditur hoc privilegium. Tacita enim hæc hypotheca & Feuda titulata afficit, *Pragm.* 8. *eod*; & poſt matrimonium adquiſita, Urſillus *ad de Afflictis decis.* 385; & ea etiam, quorum utilis dominus, ſeu maritus, ſucceſſore caret. Dubitavit hac de re Rovitus *in Pragm.* 2. *eod*; ſed ita deciſum refert de Ponte *de pot. Pror. tit.* 6. *n.* 34. Præterea hoc taciti aſſenſus privilegium, ſeu beneficium obtinet, etiamſi
in

in tabulis nuptialibus ſcriptum fuerit *ſalvo aſſenſu impetrando*, quæ formula conditionem facit; modo dos vera ac realis ſit; ne quid in fraudem fiat. Et licet dos cauta, ac promiſſa fuerit, nec appareat ſolutio, ſi tamen tempus exceptionis non numeratæ dotis *ex L.* 3. *C. de non num. dot.* tranſactum ſit, locum quoque obtinet. De Marinis *in not. ad Reverter. dec.* 130. Tum licet privilegia amplianda non ſint *ex L. quod contra ff. de LL.*, hoc tamen extenditur etiam ad alimenta uxori a feudatario præſtanda. Profecto DD. in *L. ſi cum dotem ff. ſol. matr.* ſcribunt, tacitæ hypothecæ privilegium a Juſtiniano conceſſum pro conſequtione dotis ſuper bonis viri, *L. un.* §. *& plenius C. de rei ux. act.*, intelligi adhuc pro alimentis. Unde idem de ſimili privilegio ex municipali Jure conceſſo intelligendum. Extenditur & ad uſuras, vulgo intereſſe, ſi forte, ſoluto matrimonio, heredes feudatarii ſine cauſa ſolutionem dotis diſtulerint. Et vero pignus pro ſorte obligatum, cenſetur etiam obligatum pro uſuris; & fidejuſſor tenetur etiam pro intereſſe, ſi generaliter ſit acceptus in omnem cauſam contractus (nam
ſi

ſi ſpecialiter in certam ſummam, tenetur tantum pro eo, quod promiſit, *L. qui vero* 54. *ff. locati*). At ſi mulier ſuas actiones alteri ceſſerit, tunc ad uſuras minime extenditur privilegium; ut in S.C. deciſum, teſte Reverter. *dec.* 196., quod perſonale eſt. Inſuper extenditur ad heredes mulieris extraneos, ſi reſtitutio ei facta non fuerit: jus enim hypothecæ potius uti allodiale conſideratur; adeo ut non tantum primogenito, ſed omnibus liberis æqualiter competat. Verum non extendi privilegium ad donationes, quæ liberis fiunt a parentibus contemplatione matrimonii, in Regia Camera concluſum fuiſſe, refert de Marinis *Reſol.II.* 28. Actio autem ex tacita hac hypotheca conceditur omnibus, quibus eſt jus repetendi dotem, antefatum, & *intereſſe*; etiam ceſſionariis, *Pragm.* 24. *eod.* quamvis contractus dotis in mutuum tranſierit. *Pragm.* 3. *eod.*: non ſolum contra maritum, ſed etiam contra ſocerum Feuda poſſidentem: modo hic in dotis vel mutui contractu intervenerit. De Ponte *de pot. Pror. tit.* 6. Porro inſtitui recta poteſt ſuper Feudis, minime diſcuſſis allodialibus bonis, pro agentis optione; licet aliud placuerit Rovito *in Pragm.* 8. *de Feud.*:

Feud.:competitque etiamſi in tabulis nuptialibus obligata non fuerint Feudalia bona. Camerar. *in II.F.*55. De hac re contrariæ inveniuntur inter ſe ſe Pragmaticorum opiniones, ac S. C. deciſiones; quia in dicto *capit.* & *Pragm.* tantum dicitur, favore dotium intelligi præſtitum Regium aſſenſum. At ea, quam retulimus, opinio eſt Yſerniæ, favens dotis privilegio; & ita plures S.C. noviſſimæ deciſiones. De Afflict. *in II. F.26.* Anna *ſing.*328.

§. 104. *Et expreſſa.*

Quod ſi expreſſa fuerit hypotheca, creditor hypothecarius ſuper Feudo præfertur cuicumque creditori, etiam anteriori ſine aſſenſu. Atque hic ordo ſervatur, etiamſi Feudum vendatur, ac ſuper pretio hypothecariæ actiones exerceantur. *de Franch. dec.*453. Et licet Feudalis hypoheca ſine aſsenſu contracta per Feudi venditionem valeat; cum ſuper pretio actio dirigitur; attamen uſu Fori potiores ſunt creditores cum aſſenſu, etſi fuerint tempore poſteriores creditoribus aſſenſu carentibus. de Franch. *dec.* 64. Quare veterum diſtinctio negligitur inter venditionem volunta-

tariam, & neceſſariam; ac in illa ſpectari ii putabant priorem obligationem; in hac vero potiorem eam eſſe, quæ aſſenſu vallatur; licet tempore poſteriorem. Inſuper quæſitum olim fuit, an actio hypothecaria, quæ aſſenſu impetrato adquiritur, inter jura Feudalia recenſenda, an inter allodialia? Feudalis videri poſſet; tum ex clauſula favore debitoris, *dummodo ſucceſſores debitor Feudatarius habeat*, tum ex alia in beneficium creditoris, ut aſſenſus intelligatur *pro ſe, & heredibus ex corpore*. At hoc modo contractus impediebantur. Proinde Gratiis Civitati conceſſis *Pragm.* 27. *de Feudis*, cautum eſt, dictam ſuper Feudis actionem cenſendam eſſe allodialem, ut ſuccedere ei poſſint etiam heredes extranei. Hinc in aſsenſibus clauſula adponitur *pro heredibus quibuſcumque*. Num poteſt creditor hypothecæ jus in extraneum transferre titulo ſingulari? Et negativa ſententia obtinuit. de Franch. *dec.*593. Marcianus *diſp.*86. Nam ceſſio hypothecæ extraneo inutiliter fit ſine novo Regio aſſenſu: hic enim ſtrictæ interpretationis, & juris eſt, neque extenditur de perſona ad perſonam. de Ponte *tit.* 5. §.7. *n.*26. Heres vero, licet extraneus, Juris fictione cenſetur eadem perſona cum

defuncto. Non ita de ſucceſſore ſingulari.

§. 105. *Regii aſſenſus clauſulæ; ejuſque interpretandi ratio.*

Porro quoad Regium aſſenſum circa obligationes, & alienationes Feudorum, obſervari meret in libello, quo ille expoſcitur, omnia ſine fuco explicari domino directo, alias nullius momenti redderetur aſsenſus. Freccia de *ſubfeudis Lib. II. quæſt.* 36. Atque hic tacitam habet conditionem, ſi nullum aliis inferatur præjudicium. Ideo nullius roboris eſt, ſi cum ſuper Feudo lis ferveat, litis nulla mentio facta fuerit. Conceditur enim ad ſimplices petentis preces, nulla rerum inquiſitione interveniente. Tum Feudatarius, qui ſucceſſore caret, alienare neutiquam poteſt ſine expreſſa, ac ſpeciali Principis gratia; cum proxime immineat devolutio, de Ponte *de Pot. Pror. tit. de aſſenſu Regio*, Rovitus *in Pragm.* 17. *de Feud.*; nec obligare, cum poſſit ſequi neceſſaria venditio. Similiter Regis voluntas ſpecialis neceſſaria eſt, ſi Feudum dividatur, transferatur, vel in manus mortuas, uti ajunt, perveniat. Sed & obſervandæ clauſulæ, quæ in aſſenſu,

ſu, tamquam exceptiones petitionis, interponuntur. Olim in contrahendis obligationibus ſuper Feudo adponebatur clauſula *in defectu bonorum allodialium*. Sic habetur in Conſt. *ſi quis poſt litem*, & in *Pragm.* 10. *de Feudis*. Poſtea a Rege Catholico anno 1535. conceſſa fuit gratia huic Regno, ut hujuſcemodi clauſula aboleretur, & major vigeret contractuum, commerciorumque libertas. *Pragm.* 7. *eod.* Alia clauſula adponi ſolet, ſcilicet, *Feudi natura in aliquo non immutata*; eaque operatur, ut qui Feudum obligat, aut alienat, pactis contractui adjectis, Feudi naturam nequeat prætervertere. Hinc Feudi donatione cum dicta clauſula in aſſenſu, ita facta, ut feminæ excluderentur, cum ex Feudi natura eæ vocatæ eſſent ad ſucceſſionem, non excludi, declaratum olim fuit per Collaterale Conſilium, apud Reverterium *cap.* 476. Juvat autem heic obſervare, celeberrimum in Jure Feudali axioma, *aſſenſum eſſe ſtricti juris, & non extendi de perſona ad perſonam, de caſu ad caſum, de contractu ad contractum*, non debere ſine diſtinctione accipi. Sane duplici aſpectu ſe ſe offert aſſenſus, primo uti privilegium, ac diſpenſatio juris ordi-

narii ; cum directus dominus nedum tollit ſuæ voluntatis obſtaculum, ſed etiam rei feudalis naturam immutat; & ſeverior eſſe debet interpretatio, nec poteſt ingenium ſuo arbitrio luxuriare in damnum concedentis. Pratus *tom.* 1. *Pract. obſ. cap.* 78. Lanarius *conſ.* 6. Innocentius. *in cap.* 15. *X. de temp. ordin.*: ſecundo uti gratia, ac amicabilis conceſſio, cum tantum dominus tollit ſuæ voluntatis obſtaculum, & minor in interpretatione rigor. Rovitus *tom.*1. *conſ.* 12. Aliud axioma, *aſsenſum non valere, qui a contractu ſit difformis*, intelligendum eſſe, DD. ajunt, de intrinſeca difformitate, quæ in detrimentum vertitur vel contrahentium, vel domini directi, non de extrinſeca, quæ nullam perniciem parit; uti ſi quis petat aſſenſum, ut Feudum alienet, & poſtea pignori tradat. Id moneo, aſſenſum in noſtro Regno non præſumi; debet enim probari, fuiſſe interpoſitum, ac ſcriptum in libris Regalis Cancellariæ. Nec juvat longi temporis curſus, ut præſumatur; eſt enim de ſubſtantia contractus. Et quamvis ſcriptores centum annorum ſpatio aſſenſum præſumi exſtimaverint; Montanus *controv.* 82. De Luca *de Regalibus, diſcurſu de Feudis*: ii tamen
non

non longævo tantum temporis curſu nituntur, ſed requirunt maxime, ut ſcientia, & patientia directi domini concurrant; qui ſingulis quibuſque annis aliquid exegerit in vim ipſius contractus. Sed huic ſententiæ locus eſt, quoties aſſenſus, qui præſumendus eſt, ſit de forma communi; ſecus ſi ſpecialis ſit, & a Jure ordinario recedat: nam tunc exhibendus eſt, ut dignoſcantur clauſulæ, & conditiones, ſub quibus fuit conceſſus, & an contrahentes adimpleverint.

§. 106. *Feuda alienata revocantur ob non obtentum aſſenſum.*

Feuda ſine aſſenſu alienata, etiam ei tradita, cui alienata ſunt, revocat is, qui alienavit. Conſtitutio *Conſtitutionem Divæ memoriæ* hanc alienanti actionem largitur, tanto quidem privilegio, ut niſi aliter uſus obtineret, ſine Judicis miniſterio, ſed propria auctoritate exequi hoc ipſum alienans poſſet. Hanc revocandi facultatem negant emtori Marinus Freccia, & Joannes Vincentius de Anna in d. Conſt. num. 154. Melius alii ei concedunt. Ita Capycius *deciſ.* 100., de Ponte *de poteſta-*

ſtate Proregis, *tit. de aſſenſu Regio ſuper dote*. §. 1. *num.* 31. Nam ob aſſenſum non impetratum contractus in ſuſpenſo eſt, & locus pœnitentiæ fit utrique contrahenti: nec major, æquiorque ratio pro uno militat, quam pro altero. Hæc intellige vera eſſe ante Fiſci petitionem, litiſque conteſtationem, ex qua lis incipit, & jus Fiſco quæritur, ut Feudum ſibi devolvatur, *ut in toto tit.de prohibita per Fridericum*, *&* *per Lotharium*, & contrahentibus omnis actio extinguitur, ut contractus revocetur. Porro actio revocandi non tantum contrahentibus datur, ſed & eorum heredibus. At Feudi venditio neceſſaria revocationi non ſubjacet. Nam factum quiſque ſuum revocare poteſt, non alienum; & in hac ſpecie Judicis factum revocaretur. Hinc revocatur etiam venditio facta ſub haſta, ſi naturam aſſumat voluntariæ venditionis; quando ſcilicet ex arbitratu ſuo, non urgentibus creditoribus, Feudatarius, ut melior pretio accedat conditio, curat fieri ſub haſta venditionem, ad inflammandos emtorum animos in concurſu auctionis. Rovitus *conſ.69. Lib.II.* Verum revocatio fieri debet obteſtatis tabulis, ideſt publico inſtrumento celebrato, & poſtea

reus

reus judicialiter de tali revocationis actu notificandus: nam ante notificationem nullius roboris eſt revocatio, *Pragm.* 11. *de officio Judic.* §. 75., & interim emtor legitime expetere, & obtinere poteſt aſſenſum. Nec revocatio impeditur a juramento præſtito pro contractus obſervantia: hoc enim ſuper nihilo cadit. Revocatione autem recte ſequuta, emtor Feudum reſtituit cum fructibus perceptis a die captæ poſſeſſionis, & venditor pretium cum eo quod intereſt, a die quo illud recepit.

§. 107. *Aſſenſus poſt alienantis mortem impetrari nequit.*

At poſt mortem alienantis, vel obligantis feudum, ſive hereditarium ſit, ſive ex pacto, & providentia; aſſenſus non poteſt expediri. Yſernia *in L. imperialem. n.* 15: Nam ſtatim mortuo alienante dominium utile tranſit ad agnatos, alioſve in inveſtitura vocatos; quorum novus conſenſus requiritur, ut actus convalidetur, & ſuper hoc novo actu impetrandus eſt aſſenſus. Capycius in *Inveſtitura, verb. Feudalis aſſenſus.* De Ponte *tit.* 6. Et Juris com-

munis regula, quod ratum habere debeat heres factum defuncti, intelligenda de facto, quod ab una defuncti pendet voluntate. Hoc autem factum aſſenſu perficitur, & convalidatur. Quod mox diximus, locum non habet in dote; non quidem mulierum Neapolitanarum, pro qua aſſenſum Gratia impartitur (§.103.), ſed aliarum, quibus ea Gratia non favet: pro contractu enim, in quo dos conſtituitur, quamvis mors alienantis, aut obligantis Feudum ſequatur, impetrari poteſt aſſenſus. *Tapia dec. 6. n. 39.* Dos quippe, ut Reip. ſervetur utilitas, ſpeciali indiget auxilio. Sed ſat viſum eſt conſulere doti, quæ principaliter conſideratur, non vero antefato, quod æſtimatur acceſſorium. Et doti ipſi proſpicitur in ſubſidium, quoties non extent alia bona burgenſatica, ſuper quibus ea tuta ſit; & inſuper vivente ipſa muliere, nec talis indulgentia ad ejus ſucceſſores extenditur. Quoniam jus quodvis ſpeciale ſtricte accipitur, nec lata interpretatio in damnum eorum, quorum intereſt, admittitur. Poſt *decoctionem* vero, ut dicitur, Feudatarii alienantis, quæ mors civilis eſt, impetrari aſſenſum poſſe, communis opinio eſt: attenditur namque habilitas

litas tempore celebrati contractus; qui, reſervata aſſenſus impetratione, vires habet, licet in ſuſpenſo ſit ad aſſenſum uſque. Afflictus *deciſ.* 256. At in ceſſione jurium, & hypothecæ ſuper Feudis, aſſenſus impetrari poteſt poſt mortem tam ceſſionarii, quam cedentis: quæ enim diximus in alienatione, & obligatione procedunt. Ratio diſcriminis eſt, quia in prima ſpecie de nullius præjudicio agitur: quia cum ſit primo loco obligatum Feudum, aſſenſu interveniente, nihil Feudatarii debitoris intereſt, debeat, necne, cedenti, an ceſſionario ſolvere. Giorgius in *lectione Feudali cap.* 43. *num.* 40.

§. 108. *Aſſenſus regeſtatio.*

Jam vero aſsenſus jam obtentus infra biennium redigendus eſt in quaternionibus Regiæ Cameræ Summariæ, ut perennis vigeat memoria aſſenſuum, & cuique pateat notio onerum ſuper Feudo contractorum, ſuæque proſpiciat quiſvis indemnitati. Regeſtatione deficiente, corruit aſſenſus, & contrahentibus facultas competit revocandi. Sed quæritur, utrum aſſenſus reſolvatur, ſi non ex culpa, ſed ex aliquo juſto im-

impedimento regeſtatio fieri non potuiſſet. Affirmant multi, quia ea eſt de forma ſtatuti; ſecus publica elideretur auctoritas. Alii negant; atque æquitate nituntur: cum nimis durum eſſet, jure ſuo aliquem privari ex impedimento, quod a ſe non provenit, ſed ab aliis. Ita ex. gr. libertate legata ſub conditione ſolvendi heredi certam pecuniam infra 30. dies poſt mortem teſtatoris, ſi heres neglexerit hereditatem adire, & ſtatum tempus elabatur, a legato ſervus non excluditur. *L.* 3. §. *ſi quis heredi. ff. de ſtatulib.* Ita etiam annus Feudatario præſcriptus, ut petere valeat inveſtituram, non currit in ejus præjudicium, ſi ſpoliatus feudo ille fuerit. Andreas *in cap.* 1. *de capitulo Conradi*. Quod ſi quæras, an reſtitutioni in integrum, quæ perſonis privilegiatis conceditur, locus ſit, quoties legitimo tempore facta non ſit regeſtatio; id ex eo dijudicandum reor, quod dicetur culpam adfuiſſe, necne. Tum elapſo biennio, ſed re integra (hinc diſpenſatio denegatur, ſi facta fuerit revocatio. Tapia *dec.*3.), via non præcluditur ad peragendam regeſtationem. Olim ad Collaterale Conſilium, nunc ad Regalem Cameram Sanctæ Claræ recurritur, &

& diſpenſatio petitur. Præterea diſpenſatio non valet, ſi non adhibeantur ſollemnia a Jure præſcripta. Nimirum ex *Pragm.* 23. *de feud.* inſerenda eſt in dorſo privilegii, manu Regiorum ſcribarum Regeſti, in Regia Cancellaria exiſtentium: tum ex *Pragm.* 13. *de officio ſecretarii* §. 9. debet concedi, partibus auditis, quarum intereſt. Denique liceat ſubnectere, annum ſtatutum ad præſtandum fidelitatis juramentum (§.83.), currere a die lapſi biennii conceſſi ad regeſtandum aſſenſum, ſcil. a tempore, in quo nihil reliquum eſt ad perfectionem contractus. Verum Baro ut juramentum fidelitatis a ſuis Vaſallis exigat, impetrare prius a Rege debet litteras; alias amittit Feudum. Afflictus *decif.* 265. *num.* 92. (§. 86.)

§. 109. *Quodnam jus habet Vaſallus in feudo; ubi de ſubfeudis.*

Arrepta ex hoc capite occaſione, dilucidius videamus, quodnam jus Vaſallus in Feudo jam conſtituto, vel adquiſito habeat; cum de obligationibus inter dominum, & Vaſallum ſuperius actum ſit (§. 79.). Et ſæpenumero diximus, ei utile com-

competere dominium, ac jus majus, quam uſusfructuarius in fundo habet, præcipue quia per Vaſalli obitum non amittitur feudum; amittitur vero uſusfructus per mortem; & quia id, quod per alluvionem fundo adcreſcit, non ad fructuarium, ſed ad dominum pertinet proprietatis: contra omnis utilitas, & omne feudi incrementum feudatarii eſt: non enim hic habet ſimplicem ſervitutem, ſed jus dominio proximum (§. 3.) Verum ſi feudum prope mare ſit, non poteſt in eo Baro portum conſtruere, uti DD. poſt Capycium *in Inveſtitura*. Hinc portus in Regno a Regiis Officialibus, vulgo *Portulanis*, cuſtodiuntur. Nec poſſe Baronem novas nundinas in ſuo feudo inſtituere, ajunt poſt Baldum *ex L. un. C. de nundinis*; niſi ex ſpeciali Principis licentia; quæ dum petitur, exprimi debet, an præjudicium vicino inferatur. *L. 2. ff. Ne quid in loco publico*. Sane Principis eſt immunitatem concedere a publicis vectigalibus. Ac poſt Bartolum *in L. 2. ff. de fluminib.* vulgo ſtatuitur, non poſſe vicinum mihi prohibere novi molentini in meo fundo extructionem, ob rationem, quia reditus ſui molentini imminuuntur. Id namque indirecte accidit; & jure meo
ego

ego in ea ſpecie utor; niſi molentinum, vel quid ſimile, fingamus fuiſſe a Principe conceſſum cum prohibitione; ne intra certum ſpatium vicini aliud extruerent: cum in hac ſpecie prohibitio ſit de regalibus. Inſuper nequit Baro Caſtra, ſeu loca munita, extruere in Feudo, nec diruta reficere ſine ſpeciali Regis licentia. *Conſt. caſtra tit. de nov. ædific.* Extenditur id ad loca inhoſpita, novis non exornanda ædificiis, ut incolis repleantur: atque in hac ſpecie non ſolet aſſenſus concedi, niſi cum novi habitatores ſint exteri; ne aliis Civitatibus damnum inferretur. Non obſtat *II. F.* 28., qui locus accipiendus eſt de novis ædificiis, vel ad propriam habitationem, vel extruendis ubi incolæ ſunt, ut locari ea poſſint. Permittitur enim rem feudalem meliorem reddere; ſicuti & novam ſervitutem, ſeu jus, feudo adquirere; non item veterem, & jam adquiſitam remittere in præjudicium domini directi. Nec poteſt Baro rem feudalem in emphyteuſim concedere *d. Conſt.* Poteſt vero, ſi adſit Regis aſſenſus; uti ſuo loco dictum eſt (§.102.); ſed annuus reditus adhuc feudalis cenſetur reſpectu Baronis. Reſpectu autem emphyteuticarii, eſt allo-

allodialis: adeo ut hic ad onera feudi haud alligetur; uti DD. ex Napod. *in Conſ. in bonis. tit. in quibus rebus locum habeat quarta*. Præterea Feudorum Jure certum eſt, licere Feudatario ſubinfeudare. Sed id prohibitum eſt in Regno ſine expreſſa domini licentia. *Conſt. Conſtitutionem divæ memoriæ.* Num facta ſubinfeudatione, & ob finitam lineam re ad feudatarium reverſa, hic teneatur iterum eamdem in ſubfeudum concedere? Et teneri (etiam Regem), docet Baldus *in cap.* 1. §. *ſi vero. tit. qualiter olim feud. alien.* At hæc opinio & aliis Interpretibus, & uſu ipſo merito reprobata eſt. Quinimo in nova feudi conceſſione, ipſimet ſubditi ſolent, ut ab onere feudali eximantur, pretio ſoluto, feudum obtinere; quod dicitur *demanium petere* (§.38.*p.*107.). At ſi Feudum vendatur immediato ſucceſſori, Civibus prælatio haud competit; cum nullum iis præjudicium fiat. Ceterum quod Baldus de Feudo ſcripſit, DD. ex ſententia Bartol. in *L.* 1. *ff. de aqua quotidiana, & æſtiva* docent de emphyteuſi, vel de feudi venditione; ita ut ſi feudum vendi velit, præferri debeant agnati ejus, a quo illud devolutum eſt; uti etiam ex Conſt. *ut de ſuc-*

ceſ-

ceſſionib. Subvaſallus autem Baroni, vel Comiti præſtare debet jusjurandum aſſecurationis, ſeu fidelitatis; cujus formula eſt in *Conſt. domini a Vaſallis.* V. Freccia *de ſubfeud. Lib. II.*; & ſemper Regis perſona excepta intelligitur: adeout perperam Caſinenſi Abbati *contra omnes homines mundi* fidelitatem quondam juraverint Feudatarii ſui. Abb. de Nuce *in not. ad Leon. Oſtienſ. lib. III. c.* 52. Subvaſallus quoque a ſuis Vaſallis jusjurandum exiget. *V. Vgell. Ital. diplom. tom.* 8. *pag.* 256. Tum Regni Jure ſi Rex conferat feuda, ſed a Barone immediate tenenda, cui ſubvaſallus præſtat tempore belli militare ſervitium tribus menſibus, equis, armiſque, non ſecus ac Baro, *feuda quaternata ſecundum quid* dicuntur. Sed poteſt Rex, ſi feudum quaternatum *cum ſubfeudis* concedat, Baronem a ſervitii parte eximere; & ſubvaſalli non Baroni, ſed Regi immediate ſervient. Hinc ſubfeuda militaria, quæ aperiuntur, Baro ſubinfeudare debet, ne militare ſervitium Regi exhibendum deminueretur. Ideo a Nortmannis uſque clauſula in Regni inveſtituris, *quæ de demanio in demanium; quæ de ſervitio in ſervitium*. Freccia *de ſubfeud.* Mon-

Montan. *in II.F.*55. E contrario ſunt feuda plana, & de tabula, de quibus militare ſervitium, vel annua penſio quotannis non Regi perſolvitur, ſed Baroni. (§.85.*in fin.*) Afflict. *in prælud. feud. n.* 20. P. de Monteforte *in Conſt. ſi quando contigerit*. Atque feudum planum, & de tabula relevio non ſubjacet; ſed tantum inveſtituræ intra annum, & diem petendæ. Ex feudo vero quaternato ſecundum quid, vel ſimpliciter, relevium præſtatur. *Conſt. poſt. mortem Baronis*; ubi Marin. Caraman. Tandem ſicuti in feudi alienatione requiritur Regis aſſenſus, ita in alienatione ſubfeudi aſſenſus Baronis; aliter nullus erit contractus. De Franch. *dec.* 86., *&* 126. Quod intelligendum monet Freccia *par.* 2., ſi feudum ſit *planum*, *& de tabula*: nam Regis ſimul, & Baronis aſſenſus in alienatione requiritur, ſi fuerit *quaternatum ſecundum quid*, h.e., uti diximus, ſcriptum in quaternionibus Regiæ Cameræ, & a Rege ea conditione conceſſum, ut teneatur a Barone, ideſt, ut ſubfeudatarius Baronem cognoſcat pro oneribus, quæ ab ipſo ſolvuntur pro toto feudo. Verum ſi tempore alienationis ſubfeudi Baro propter aliquod cri-

crimen fuerit deportatus, illa valida erit ſine ejus aſſenſu. Et licet Baro dein Principali indulgentia reſtituatur, nequit tamen contractum infringere. Beneficia enim uni conceſſa, non debent alteri nocere. Ita quoque contractus a filio deportati initus, pendente deportatione, haud infirmatur, ſi pater in priſtinum reſtituatur ſtatum. *L. ult. C. de ſententiam paſſis, & reſtit.* Teſtamentum vero infirmatur, ſi filius, reſtituto patre, adhuc vivat.

C A P. VI.

DE ONERIBUS FEUDALIBUS, ADOHA, ET RELEVIO.

§. 110. *Adohæ origo, & quantitas.*

SUnt nonnullæ obligationes Feudatarii ob feudi poſſeſſionem; uti vita-militia, paragium, adoha, & relevium. Duæ poſteriores heic explicandæ veniunt, cum de aliis commodiore loco ſuperius actum ſit (§. 97. *p.* 333., & *ſeq.*). Jam ſicuti emphyteuta annuum canonem ſolvere tenetur, ita Feudatarius annuam penſionem, quæ *adoha* nuncupatur a voce Northmanna *a-*

dobamentum, quæ collectionem ſignificabat; unde & *dobana*. Freſen.V.*adoba*. Cum enim perſonale ſervitium ab eo tantum feudatario olim præſtandum eſſet, qui poſſidebat feudum redituum 20. unciarum, cum Vaſallis; quippe tribus menſibus, cum tribus equis, propriiſque impenſis ad præliandum is paratus eſſe debebat, *Cap. Car. II. item ſtatuimus, quod Comites Barones*; hinc ſi quæ feuda minus annua dabant (forte quia Jure Langobardo viventes plures heredes feudum inter ſe ſe ante diviſerant), eorum collatio fiebat, ut integrum componeretur ſervitium. De Marin. *alleg.* 116. Ex iſthac collatione fortaſſe vox *adoba* profecta eſt, ipſi ſervitio pecuniario inde aptata; cum ex veteri Regni more perſonales obligationes feuda poſſidentium (unde ex Feudorum Jure deberet Vaſallus per ſe, aut, Domino permittente, per alium idoneum bello inſervire. *cap.imperialem, de probib. Feud. alienat. per Frideric.*) in reales commutatæ fuerunt. Et quia hæc penſio pecuniaria pro militibus ſtipendiariis datur, dicta fuit *hoſtenſia*, vel *hoſtilitium* (§. 259. *p.*261.). Ob commune Feudorum Jus Feudatarii eſt vel pecuniam præbere, vel perſona-

ſonaliter ſervire: at Regni noſtri more optio Regis eſt (§. 3. *pag.* 7. & §. 79.), excipe, ſi legitimo impedimento feudatarius detineatur. Interim poſt laudatum Caroli Capitulum adoha cœpit eſſe decem unciarum cum dimidia, ſi feudum eſſet cum Vaſallis, 20 unciarum annui reditus. Si hoc Vaſallis careret, quia Feudatarius non poſſet ſubveniri a Vaſallis ex Conſt. *quamplurium*, erat unciarum ſex. Si denique feudum conſtitutum eſſet in annuis reditibus, ex.gr. gabellis, vel dohana, quinque unciæ exſolvebantur. Pro feudis vero planis, & de tabula, tenebatur Vaſallus ſervire Baroni per 40. dies cum equo, expenſis tamen domini. Fuſe Andr. in *II. F.* 20., Lipar.; & Laratha *in Theatro feud. par.* 12. *dilucid.* 22.. Alphonſus I. ann. 1442. adoham Baronibus remiſit, *capit.* 10. *Gratiar.*, quod pro pacis temporibus confirmavit anno 1507. Carolus V. Cum vero Baro belli tempore adhoam ſolvebat, Vaſallis onus erat ſymbolam contribuendi. Ageta ad Moles *dec.R.C.de J. Adobæ* §.4. *n.*23. Porro ſub Ferdinando Catholico liber confectus eſt, qui *cedularius* dicitur, quique adohæ quantitates Regni Baronum juxta veterem taxam con-

tinet; non ſecus ac *quinterniones* exhibent feudorum conceſſiones, pacta, ac modum ſuccedendi. Roſa *conſult.*30. Mazzella *deſcript. Regn. Neap. Lib.* 2.. Verum ſub Philippi II. ditione ann. 1564. cautum eſt, belli tempore nullum onus Feudatarios ſuccollare, ſed quotannis pro donativo Regi præſtando, ſolvendos eſſe a Regno duc.600000., eorumque a Baronibus, juxta cujuſque feudi reditus, ſolvendos adohæ loco duc. 150000. Tapia *dec.* 14. de Ponte *tit. de Regalium impoſit.* Moles *tit. de J. adohæ.*. Hæc autem quantitas dividenda eſt inter Barones Regni ſecundum ratam adohæ, juxta quam Feudum fuerit in cedulario taxatum. Quotannis itaque adoha ſingularum Perceptoribus Provinciarum ſolvenda eſt ab omni feudo; & ſemel æſtimata nec augetur, nec deminuitur, licet Feudi fructus augeantur, vel deminuantur, *arg. L.* 2. *C. de fundis rei privatæ*,. *L.* 16. *C. de omni agro deſer. L.* 2. *C. de alluvion.* Porro duplex dicitur in Regno adohæ præſtatio, vetus, & nova. Illa minima eſſe ſolet ob fructuum exiguitatem. Hæc contingit, ſi Feudum ad Regem per lineæ interitum, vel per feloniam devolutum, iterum Rex Jure Feudi dederit; at-

atque adoham augere poteſt, fructuum quantitate inſpecta, modo Feudum ære alieno minime laboret: aliter detrimentum inferretur creditoribus. Quin devoluto ad Seniorem Feudo, hunc oneribus ſuo aſſenſu a Vaſallo contractis, ſatisfacere teneri, jam claret. Roſa *d. loc.* Secus eſt, ſi Baro alienaverit; nam vetus adoha manet, ex *cap.* 10. *Gratiar.* anni 1536., & 1540. Caroli V. Reverter. *dec.* 300., *&* 515. Roſa *prælud. Feud. lect.* 5.; licet Jure communi, ſi non leve augmentum, vel deminutio Feudi contigerit, etiam militare ſervitium augeri, vel imminui oporteat. P. de Greg. *de conceſſ. feud. par.* 1. *c.* 11. Quando autem ex Regni neceſſitate feudatariis imponitur adohæ ſolutio, ſubfeuda poſſidentes pro rata contribuere tenentur non Regiæ Curiæ, ſed Baroni, a quo illa habuerunt. De Marin. *dec.* 300. *Reverter.* Anna *conſ.* 3. Quod ſi Vaſallus propriis impenſis militare velit, ab adohæ ſolutione liberabitur. Afflict. *dec.* 120. Ob militiam togatam vero liberari placuit Præſides Regiæ Cameræ, non item Regios Conſiliarios. Præterea ſi nihil ſpeciatim inter contrahentes convenerit, adoha ſolvitur a quocumque poſſeſſore uſufructuario;

etiam a conductore, cum ſit onus feudo adjectum, & reale, uti ex Conſt. *ſive reali*; ac ſervitium in Feudis potius rei, quam perſonæ inhæret, Conſt. *conſuetudinem pravam*. Capyc. *dec.* 184. Idcirco adohæ ſolutio, & in Cedulario deſcriptio, argumentum eſt Feudi quaternati certiſſimum. Excuſatur autem ab adoha, qui eodem tempore ſolvit relevium, vel donativum, ne quis duplici onere prematur, *arg. L.navis onuſtæ ff. ad L.Rhod.*, & qui pauper eſt; Afflict. *in cap.*1. *quæ ſit prima cauſ. amitt.beneſ.*, & qui, ne illud ſolvatur, pro ſe habet Inveſtituræ pactum, vel privilegium conceſſum. Capan. *quæſt.*12. Ceterum qui debet, ac ſolvere adoham negligit, pecuniaria plectitur pœna, non pœna amiſſionis feudi, *cap. Reg. Roberti. nolumus*; *tit. quod Barones*; qua afficitur communi Jure, qui ſervitia non præſtat.

§. III. *Relevii*, *ac juris tapeti*.

Porro ſicuti novus emphyteuta domino laudemium ſolvere debet in directi dominii recognitionem, ita domino directo in novi beneficii teſſeram, dum ſucceſſor in Feudo ex hereditario jure novam petit inve-

veſtituram, *laudemium* (nam *laudes* ſunt homines ſubiecti) ſolvere adigitur, quod proprie barbara voce, in ipſo Feudali Jure incognita, *relevium* appellatur: ita dictum a verbo *relevare*, ſeu *renovare*. Freſn. v. *relevare Feudum*; ſeu quia ejus præſtatione liberatur Vaſallus a ceteris oneribus, quæ Jure communi ſunt feudo adnexa, Yſern. *in cap. 1. de Capitulis Conradi*, ſeu quia Feudum, non ſecus ac jacens hereditas, cum ſucceſſor venit, veluti reſurgit, ac relevatur. Relevii autem, ſeu laudemii ſolutio moribus inducta eſt. Cur autem Marinus Freccia morem hunc *improbum* appellaſſet, ita ut iſtud non eſſe dixerit Feudi onus, ſed perſonalem novi Feudatarii præſtationem, plane non video. Ex ſuo principio auctor idem poſt Yſerniam, & Baldum ſcripſit, pro relevii ſolutione Feudum ſequeſtro alligari non poſſe. At contrarium recte placuit inter alios Seraphino Biſcardi *in Juris Reſp. pro Reg. Fiſc. ſuper præſt. ſervit.* Laudemii autem exigendi mos ob inveſtituras tam ignobiles, quam nobiles, vetuſtiſſimus eſt; ejuſque veſtigia ſunt in Conſuetudinum Feudalium libris. Cujac. *ad tit.* 25. *L.* 1. Gudelin. *par.* 3. *c.* 6. *n.* 13; Eguinar. Baro *III.* 15. Et olim oves, e-

qui, arma, vinum, vel aliud ſimile pro relevio dabatur. Freſn. *v. inveſtitura*. Poſtquam vero hereditaria evaſerunt beneficia, æquum erat, ſucceſſorem præſtare fructuum partem domino, qui jus rem reciperandi amittebat. Idipſum obtinuit apud Nortamannos in Anglia, ac in Regno noſtro. Et licet ſcripta de relevio lex non fuerit, ſicuti nec de Feudorum inſtitutione; relevium tamen ſimul cum feudis a Nortmannis introductum apud nos fuiſſe, conſtat ex privilegio conceſſo a Rogerio Rege Beneventanæ Civitati anno 1137. apud Falconem Beneventanum. Jam vero relevium intra annum, & diem ſolvi debet (§. 83.), neque admittit compenſationem, niſi ex ſpeciali Regis indulgentia. De Curt. *Reſ.Feud. c.3.* Affl:ct. *dec.* 192.; eſtque medietas fructuum ex feudo eo anno perceptorum, quo decedit feudatarius, niſi aliud definitum fuerit in Inveſtitura. Quod ſi quotannis nulli, vel pauci fuerint feudi fructus, ex trium annorum fructibus, ſexta pars pro relevio ſolvenda. Freccia *de ſubfeud. auth.* 3. At relevium non in fructibus feudi, ſed in pecunia numerata præſtatur. De Franch. *dec.* 121.: a fructibus autem definitur, deductis ex-

expenſis, Afflict. *in Feud.L.*1.*c.*3.,nimirum quæ pertinent ad fructuum collectionem, non vero ad onus feudi, cui erat obſtrictus feudatarius; ex.gr. expenſæ pro cuſtodiendo aliquo caſtro, ſi forte in illo ſit feudum conſtitutum, Reverter. *dec.* 245.: tum nec annui cenſus deducuntur, ſive præſtationes ſuper ipſo feudo, impetrato Regio aſſenſu, contractæ: nec quod ſolvitur ſingulis annis ratione vitæ, & militiæ. Nam ſi hæc omnia deducerentur, non eſſent tantum onera feudatarii, ſed & domini directi. Meliorationes vero non venire in computationem relevii videretur, quia cedunt beneficio Baronis, non domini directi, ita ut per finitam lineam feudo devoluto ad Fiſcum, meliorationes eſſent heredis in burgenſaticis. Yſernia *in cap.* 1.§.*ſi Vaſallus tit. ſi de feudo &c.* Verum quia relevium ſolvitur etiam in dominii directi ſignum, & quia in hac ſpecie unus eſſet heres, qui pro Inveſtitura de omnibus feudi reditibus ſolvere deberet relevium; non vero duplex heres, h.e. extraneus in allodialibus, & Fiſcus in feudalibus; hinc meliorationes non deduci, uſu probatum eſt. Fructus autem in hac cauſa intelligendi ſunt certi reditus, non ii, qui per-

ci-

cipiuntur opera, & induſtria feudatarii ; nam relevium eſt onus reale. De Marin. *Reſol. II.* 18., nec qui ex Jurisdictionis exercitio, vulgo *proventus*, percipiuntur: nam & incerti ſunt, & ex iis ſolvuntur penſiones Officialibus. Cum vero relevium ſolvendum ſit quoties per alicujus mortem, præcipue ex jure hereditario, petenda eſt inveſtitura, ut Yſern. *in cap.* 1. §. *ut res. tit. per quos fiat inveſt.*, & Capan. *in tract. de Jure relev.*, ex hoc principio, veluti ex jacto fundamento exſurgit, quod non ſolvant relevium I. ob donantis mortem feudi donatarius, ſi proprietati conſolidetur uſusfructus, ſibimet a donante reſervatus. Decius *conſ.* 47. II. donatarius cauſa mortis, Frecc. *d. loc.* III. qui, mortuo Regiæ liberalitatis ſocio, partem Feudi jure non decreſcendi habet, Yſern. in *II. F. tit.* 3. §. 1. IV. filius refutatarius unius feudi; modo fraus abſit, nec in Inveſtitura ſtatutum fuerit, relevium ſolvendum, quandocumque feudum in alium transferatur. De Ponte *de pot. Pror. tit.* 8. §. 4. V. pater, qui ſuccedit filio in feudo, quod antea ei refutaverat, uti Frecc., & Yſern.: ſed aliud deciſum, teſtatur de Curt. *Reſol. Feud. c.* 3. VI. mu-

mulier pro dotario. VII. qui in feudo ſuccedit ob mortem feudatarii civilem. VIII. heres, qui redimit feudum a defuncto alienatum cum pacto retrovendendi, Freccia *d. loc.* IX. novus Eccleſiæ Prælatus, niſi Regia Curia ſit in contraria quaſi poſſeſſione. X. novus Univerſitatis Feudum poſſidentis adminiſtrator. Ceterum pro hiſce manibus, uti ajunt, mortuis, introductum eſt *quindennium*, ſeu ſolutio relevii in ſingulis quindecim annis. Præterea, qui ex Regis aſſenſu vocatus eſt ad fideicommiſſum in feudo, ſolvit relevium; etſi fideicommittenti ſuccedat, non ultimo morienti. *DD. in L. coheredi* §. *cum filiæ ff. de vulg. ſubſt.*: nam illud ſolvitur nedum ex ſucceſſione, ſed & ex nova dominii translatione. Reverter. *dec.* 254. His accedit, quod ſi in hac ſpecie ſolvendum non eſſet relevium, nec etiam ſolveretur in Feudo ex *pacto & providentia*, quod falſum eſt. Itaque non eſt relevium præſtandum, ſi quis ſuccedat ad feudum ex propria conventione, non uti vocatus a Jure: nova enim Inveſtitura non videtur, ſed potius antiqua continuatur. Ita ſi pater, Regio aſſenſu impetrato, filiæ nubenti in dotem dederit feudum,

dum, quod poſſidebat, & ex pacto reſtitutionis dotis Feudum illud ad dotantem revertatur, ſolvendum non eſſet relevium. Quod ſi mulier ipſa, quæ feudum per ſucceſſionem adquiſivit, ſe ſe dotando det feudum marito, accedente etiam Regio aſſenſu, *DD. in cap.* 1. §. *donare . tit. qualiter olim potuerit feudum alienari*, ſoluto per mortem viri matrimonio, hujus heres ſolvet relevium, modo feudum æſtimato in dotem datum fuerit; & heres velit feudum retinere, ac reſtituere mulieri ſuperſtiti pecuniam. Præterea ſi Feudum per legatum adquiritur (impetrato Regis aſſenſu; aliter id fieri non poſſet, cum nulla ſit in Feudis teſtamentaria diſpoſitio (§. *96.*), feudatariusne, an heres univerſalis ad ſolutionem relevii adſtrigendus eſſet, quæſitum quondam fuit in R. Camera. *V. deciſ.* 215. *Reverterii*. Et quia ad onera hereditaria legatarius minime tenetur, illud ab herede ſolvendum eſſe videretur. Id vero nimis durum eſſet: idcirco praxis eſt, ut cum pro legato aſſenſus impetratur, concedatur ſub conditione, ut legatarius relevium ſolvat. Similiter ſi ſucceſſor in feudo antiquo hoc alienet, emtorem ad relevium te-

teneri, uſu probatum eſt. Freccia *de ſubfeud.* Verum emtor, qui ſolvit relevium, agere poſſet contra venditorem actione *quanti minoris*; ſi tamen ignoraverit, relevium ſolutum non fuiſſe. Præterea ſi decedat dominus directus, & debeat renovatio peti, relevium non ſolvitur. Afflict. *dec.* 248. Fachin. *controv. VII.* 98.: onera enim non ſunt temere imponenda, ſi in Jure expreſſa non extent. Inſuper pro relevio actio concedenda eſt Fiſco adverſus tertium feudi poſſeſſorem; modo hic a Fiſco cauſam non habeat. Frecc. *d. loc.* Subfeudatarii autem non Regi, ſed Baroni, a quo Feudum habuere, relevium ſolvent. *cap. Regni apud Foggiam*. Et duplex poteſt eodem anno relevium ſolvi, quidquid Doctores dicant. Tandem novus feudatarius, tempore ſolutionis relevii, præſtabit Camerario pro tapeto, quod Camerarius ipſe ſternit, quando Feudatarius homagium præſtat, tertiam partem ejus quantitatis, quæ pro relevio Regi datur. De Curt. *d. loc. n.* 75. Et hoc dicitur *jus tapeti*, uti ex Ritu Regiæ Cameræ *ſub. tit. de off. Magiſtri Camer.*

CAP.

C A P. VII.

QUIBUS MODIS FEUDUM AMITTITUR.

§. 112. *Feudum quando amittitur Vaſalli morte*.

EX Feudali Jure certis quibuſdam modis vel ſine culpa Vaſalli, vel propter culpam, Feudum amittitur. Et primo per Vaſalli mortem. Sed quia illud ad heredes tranſmitti placuit, id locum obtinet, ſi Inveſtitura pro perſona tantum Vaſalli concepta fuerit; vel ſi perſonæ deficiant in Inveſtitura deſignatæ, uti in Regno noſtro ſunt, quæ ad quintum uſque gradum e latere feudatario conjunguntur (§. 98.); vel ſi feudum concedatur Clerico in majoribus ordinibus conſtituto, qui legitimis ex corpore heredibus caret. Immo ſi Vaſallus clericatum ſuſcipiat, feudum amittit *II. F.* 20., & 21., cum ad ſervitia facto ſuo inhabilis reddatur: quam tamen cauſam amittendi feudum hodie non obtinere dicunt. V. Struv. *cap.* 9. *th.* 9.

§.113.

§. 113. *Rei interitu; ac alienatione.*

Interitu quoque rei extinguitur feudum, uti & uſusfructus, *L.* 1. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Et quamvis in Feudo duplex jus conſideretur, rei ſcilicet, ac perſonæ; ita ut, re ſublata, nihilominus obſequium, quod eſt jus perſonale, præſtandum videatur; adhuc tamen Giphanius cenſet, ex interitu rei omnino Feudum extingui, neque obſequium præſtandum eſſe: officium namque ait, propter beneficium præſtari. Profecto feudum eſt jus in corpore; quo ſublato, illud perire neceſſum eſt. *arg. pr. I. de uſufr.* Rittershus. *paratit. feud. II.* 6. Quin fingamus, feudum in hoſtium manu deveniſſe, certe feudatarius ſolutus erit tum militiæ onere, tum adohæ, ac relevii. Porro ædibus in feudum datis, ſi eæ collabantur, in area feudum ſubſiſtere, verius eſt; quia pinguius eſt jus Vaſalli, quam uſusfructuarii (§. 109.). Struv. *cap.* 15. *th.* 4. Tum ob alienationem feudi ſine domini aſſenſu factam, illud amittitur. (§. 102.)

§. 114. *Conſolidatione*.

Amittitur etiam, non ſecus ac uſusfructus, feudum per conſolidationem, ſi dominium utile ad dominum, vel directum ad Vaſallum perveniat; quod contingit vel præſcriptione (§. 87.), vel refutatione (etiam ſine domini voluntate, *II. F.* 38., modo non fiat intempeſtive ex. g. domino in procinctu exiſtente); vel morte Vaſalli ſine ſucceſſoribus feudalibus; vel tandem contractu quodam ad dominium transferendum idoneo. Ipſe autem dominus ob ſupervenientiam liberorum feudum revocare non poſſet. Tiraquell. *ad L.* 8. *C. de revoc. donat.*, quia eſt donatio ob cauſam facta; ſc. ob merita præcedentia, & futura ſervitia.

§. 115. *Tum amittitur Feudum ſi Inveſtitura non petatur*.

Si Inveſtitura intra tempus a Jure ſtatutum non petatur, nempe intra annum, & diem, *II. F.*24., Feudum amittitur: modo minor ætas, vel legitimum impedimentum non adſit. At in Regno cum feu-

feuda utplurimum ex oneroſa cauſa adquirantur, pœnæ nomine duplex ſolvitur relevium (§. 83.).

§. 116. *Si Vaſallus Feudo male utatur.*

Amittendi Feudi hanc quoque cauſam putat eſſe Giphanius, ſi Vaſallus Feudo male utatur; nimirum vel ſubditis, ſi Feudum eſt dignitatis, eive jurisdictio adjungatur; vel re ipſa; ex. gr., ſi in Feudo advocatiæ Vaſallus ſuo munere non bene fungatur; in Feudo Gaſtaldiæ ſi res Fiſci non ex fide adminiſtrentur. *II. F.* 27. *&c.* Sed id in Regno minime obſervatur: vix enim aliquando ad tempus Barones jurisdictione privantur, licet crimen in ejus exercitio admiſerint.

§. 117. *Si neget ſe Vaſallum eſſe.*

Inſuper juſta cauſa domino præbetur amovendi Vaſallum a Feudo, ſi hic inficias iverit ſe Vaſallum eſſe, ſive in toto, ſive in parte Feudi. *II. F.* 26. Huc referri poſſet Vaſallus, qui operam domino, vel hominium negat. Sed neque hoc apud nos ſervatur: quotidie enim lites a-

gitantur, utrum res ſit feudalis, necne.

§. 118. *Si ingratus erga Dominum fuerit*.

Inficiationi affines ſunt cauſæ ingratitudinis, quæ licet omnes expreſſæ non ſint in Feudorum Jure; poſſe tamen eas peti ex cauſis juſtæ exheredationis, ac revocandæ donationis, receptum eſt: ex. gr., ſi Vaſallus violentas manus domino intulerit, vel eum aggreſſus fuerit, ſed non ignorans, uti bene ſcribit Giphanius idem contra Gloſſam in *I. F.* 5.: tum ſi vitæ domini, vel honeſtæ famæ ſit inſidiatus; ac ſi ei gravem jacturam delatione intulerit, *II. F.*24., licet juſta ex cauſa delatio fiat, *arg. L. ult. C. de delat.*, vel accuſaverit de crimine ad ſe non pertinente. Atqui varias ingratitudinis ſpecies ſuperius retuli (§. 79.). Sed & dominus directus feudi proprietatem amittit, quoties adverſus Vaſallum male ſe gerat. *II. F.* 49.

§. 119. *Si parricidium patraverit*.

Accidit aliquando, ut Vaſallus amittat Feudum, etiamſi in alium, non in domi-

minum ſuum peccaverit ; veluti ſi fratrem ſuum occidat, ut heres ex aſſe ſit: & feudo indignus ideo cenſetur, *II.F.*37. At non ſolum ex parricidio Vaſallus feudo privatur, verum etiam ex delicto, unde bonorum publicatione eſſet puniendus; uti ſi legitime proſcriptus, ſeu *forojudicatus* fuerit. Nam amiſſa Civitate, ac libertate, veluti publicus hoſtis, tam allodialia bona, quam feudalia amittit. Num vivente forojudicato Barone, feudi fructus debentur Fiſco, an agnatis in feudo ſucceſſuris? Pro Fiſco eſſet argumentum a ſimili ſpecie contra fideicommiſſarium ob delictum heredis fiduciarii, *L.* 48. §. 1. *ff. de Ju. Fiſci*. Quia vero utile feudi dominium in ſuſpenſo eſſe nequit, ad fiſcum pertinere non poſſe; complures Doctores affirmant. Nam poſt forojudicati obitum Fiſcus non eſt in Feudo ſucceſſurus: hinc illi ajunt, ad ſucceſſores agnatos Feudi fructus tribuendos fore. Illud ſpeciale eſt in Feudo, quod Clerici, vel Epiſcopi ratione Eccleſiæ a Rege habuerunt, ut ſi ob eorum culpam Feudum amittant, revertatur ad Regem, ſed quamdiu ipſi vivant: nam poſt eorum mortem pertinet ad ſucceſſorem, *II. F.*40.

§. 120. *De delictis feudalibus diſtinctius agitur.*

Delictum feudale in genere adpellatur *felonia*, *II. F.* 26. §. *domino*; quod vocabulum alii a *fallere* deducunt, ac *fallonia* legunt; alii a Germanorum *feblen*, quod eſt *errare*, Struv. *cap.* 15. *th.* 8.; alii a Græco φήλωμα, quod impoſturam, & fallaciam ſignificat, Vultej. *c.* 10. *n.* 7. Quidquid ſit, barbarum eſt, & quidem Langobardorum. Feloniam vero tam a Vaſallo, quam a Domino patrari poſſe, ex eo textu claret. Et a Vaſallo vel committendo patratur, vel omittendo. Committendo vel directo, ſive immediate in dominum, vel mediate, ſive indirecto. Directo ex.gr., ſi arcana domini revelaverit, quod *credentiam manifeſtare* dicitur *I. F.* 17., modo doloſe fecerit in damnum domini, etiamſi eventus non fuerit ſequutus. Alia exempla ſuperius protuli. Indirecto, ex.gr., ſi in exraneum atrocia quædam delicta patraverit, ob quæ feudo indignus efficiatur; vel ſi feudi alienatio ſine conſenſu domini facta fuerit; vel ſi illos, qui in familia domini ſunt, enormi injuria affe-

fecerit, ut ſi dominum *cucurbitaverit*, ſeu uxorem ipſius vitiaverit. De hac voce vide Birſch. *in Comm. Feud. ad I. F.* 5. Neque excuſatur Vaſallus, ſi uxorem Domini volentem cognoverit: nam etiam ita fidem Domino datam violat; neque ſi concubitum ſolummodo tentaverit, *I. F.* 5., ubi *concumbere ſe exercuerit*, hoc eſt tentaverit; neque ſi oſculum luxurioſum dederit; Vultej. *cap.* 11. *n.* 31. Ac in dubio, niſi mos regionis aliud ſuaſerit, luxurioſum præſumitur. Roman. *Diſſ. de oſculo*. §. 24. Stryk. *Ex. Ju. Feud. qu.* 15. *cap.* 23. Delicta vero in extraneum ſunt parricidium, *I. F.*5. §. *idem ſi frater*; proditio convaſalli, *II. F.* 17., crimen majeſtatis, vel inceſtus (quia honeſte in Curia Domini ſtare amplius Vaſallus non poteſt); ac nimia in ſubditos ſævitia, *II. F.*27. §. *quicumque*; ibi *inornate tractaverit*. Omittendo peccat Vaſallus, ſi periculum famæ, bonorum, vel corporis a domino non avertat, ſi inveſtituram non renovet, ſi omittat ſervitia. Ob feloniam autem non ipſo Jure Vaſallum feudo privari, ſed cauſæ cognitione opus eſſe, in perſpicuis eſt per *I. F.*21., ubi *ſine cognita culpa*; & ſententia condemnatoria,

quam non declaratoriam, ſed privatoriam putamus cum Struv. *cap.* 15. *th.* 11. *n.*3. Feudum tamen alienatum ad Dominum ipſo Jure revertitur. Struv. *d. loc. n.* 6. Felonia denique remittitur vel expreſſe, vel tacite: quo & præſcriptio 30. annorum ſpectat.

§. 121. *Feudum amiſſum cuinam pertinet? Et quæ Feudi devolutio?*

Quoties neceſſario utile dominium a feudatario in alium transfertur, *amiſſio* feudi generaliter dicitur: ſi in ejus agnatos, etiam *amiſſio* in ſpecie: ſi vero ad directum dominum illud redeat, *devolutio* nuncupatur. Ex allatis autem cauſis feudum *amittitur*, ſed non omnes *devolutionem* producunt. Devolutio enim quandoque ex cauſa quadam impeditur, quandoque etiam ex feudi natura. Et vero omne peccatum in Dominum directum eſt devolutionis cauſa. At ſi perduellio ſit, ad Regem revertuntur omnis generis Feuda, *arg. L.* 5. *C. ad L. Jul. Majeſt.* Alia crimina gravia devolutioni locum faciunt; ſi Feuda ſint hereditaria, non vero ſi ſint ex pacto, aut mixtæ naturæ. Ita Yſernia,

& DD. in *II. F.* 24. . Hujus enim generis feuda ad agnatos, cognatoſve ex lege Inveſtituræ, non ex voluntate ipſius feudatarii, deferuntur (& ſicuti nullum fit iis præjudicium, ſi feudatarius ſine domini directi conſenſu feudum alienaverit; ita nec etiam ſi deliquerit); modo ii non ſint deſcendentes, neque agnati intra quartum gradum. *d. loc.* §. *ſi Vaſallus*, & modo feudum non ſit novum. Hinc collaterales, & agnati meliori gaudent conditione, quam filii, & deſcendentes feudatarii delinquentis. Yſern. *in Conſt. ut de ſucceſſ.* Hinc etiam procul dubio in feudo novo crimen feudatarii nocet ejus deſcendentibus. *d.loc.*; ſive patratum ſit in dominum, ſive in alium; dummodo ſit tale, ut feudo reus privetur, Zaſius *de feud. part.*10. Jul.Clar.§.*feudum. qu.*64. Jam vero a pœnali lege de excluſione filii a feudo nonnulli excipiunt feminas, ubi ex ſtatuto ſuccedunt, uti in noſtro Regno. Nam ex Baldi opinione *in L. quicumque C. de ſervis fugitivis*., ſi ex forma alicujus ſtatuti, filii proſcriptorum, qui vulgo *banditi* dicuntur, procul eſſe a Civitate jubeantur, feminæ nomine filiorum non veniunt; quia in odioſa re verſamur;

& quia maſculi ſolent patris exemplum imitari; quod in feminis timeri nequit. Sed hoc non obſtante, contrarium obſervari meret: nam tamdiu conceſſum intelligitur feudum, quamdiu feudatarius eſt in fide; qua deficiente, cenſetur, tamquam deficiente conditione, revocatum. Obligatio enim contracta intelligitur, ſi res in eodem ſtatu permaneat. *L. cum quis. ff. de ſolution.* Nec obſtat *L. quiſquis C. ad L. Jul. majeſt.*, quæ locum habet, ſi agatur de rebus maternis, quibus maſculi privantur, non item feminæ: at in rebus patris delinquentis, uti eſt in noſtra ſpecie, nulla fit diſtinctio. Idipſum ex Regni hiſtoria claret. Afflict. *in cap.* 1. §. *præterea. quæ ſit prima cauſa beneſi. amitt.* Præterea feudatarii filium ob grave delictum, unde feudo indignus foret, ſi illud poſſideret, patre mortuo, ſucceſſione privari, jam diximus (§. 97. *pag.* 321.) Yſern. *in d. cap.* 1. Num ejus filii? Et licet hi ex prava origine naſci dicantur, *L.* 2. *C. de quæſt.*, admittuntur tamen, *arg. L.* 3. §. *ſi emancipatus ff. de bon. poſſ. contra tab.* Sane leges de patre delinquente ſcriptæ ſunt; nos autem hic agimus de ſuccedendo avo. Nec deſtitui-

mur

mur rerum judicatarum auctoritate ; etſi Fabius de Anna contra nepotes pro Fiſco diſſeruiſſet. V. de Ponte *de pot. Proreg. tit. de refut. feud.* Jam vero nonnulli aſſerunt, feudum devolutum Fiſcum capere non uti heredem, ſed jure ſuo ex Inveſtituræ pacto, & ex contractu jam reſoluto ; nimirum utile dominium ſub conditione translatum, hac defecta, directo conſolidari : ſunt etiam qui autumant, haberi Fiſcum vice univerſalis ſucceſſoris, ac in eundem jura omnia activa, & paſſiva, quæ ab ipſo Feudo dependent, pertranſire : adeo quidem, ut is onera ſolvat Regio cum aſſenſu contracta ; atque actionibus utatur a prædeceſſoribus feudatariis adquiſitas. Sane quamvis id regulis Juris Feudalis adverſari videatur ; quia extincta ex. gr. linea ſucceſſorum, non datur amplius ſucceſſio ; nihilo tamen minus Fiſcum figuram ſaltem heredis præſeferre, ſive actor, ſive reus ſit, in praxi ſervatur ; etiam ubi bona vacantia is adipiſcitur, aut ubi, publicatis bonis reorum, in eorum poſſeſſionem mittatur.

§. 122.

§. 122. *Quid juris de Feudi meliorationibus?*

Cum feudi melioramenta jure allodialium ceſeantur, Schrader. *par.* X. *ſect.* 18. *n.* 127., hinc feudo ſine Vaſalli culpa finito, hujus heredes ea repetere poterunt; & filiabus hoc nomine competit jus retentionis: neque cum ipſo feudo veniunt ad dominum (niſi forte hoc ex culpa amiſſum fuerit. Struv. *cap.* 15. *th.* 19.). Heredes vero conſequuntur quantum impenſum eſt, ſi ſumtus fuerint minores melioratione: ſi autem fuerint majores, præſentem æſtimationem habebunt. *L.* 38. *ff. de reivindic.* Stryk. *Ex. Jur. Feud. c.* 22.*q.*17.Repetuntur etiam expenſæ in deboſcando, vel nemora inculta ad culturam redigendo; quia ex his melius feudum dominus recipit. Anne fructus ex feudo percepti compenſantur cum meliorationibus? Et id in bonæ fidei poſſeſſore locum habet, *L.*48. *ff. de reivindic.* Cum autem Vaſallo competat utile dominium, hoc fructuum compenſationem minime admittit. Schrader. *d. loc.* Poſtremo quemadmodum in Jure eadem eſt meliorationis,

nis, ac deteriorationis ratio, ideo ſi quid feudo deceſſit, Vaſallus, ejuſve heres, feudum in eadem bonitate, qua accepit, reſtituere debet: niſi caſu fortuito deterius redditum fuerit.

IN-

INSTITUTIONUM
JURIS FEUDALIS
PARS TERTIA

§. 123. *Ordinis ratio*.

REſtat poſtrema horum Elementorum pars, quam duobus capitibus commode contineri poſſe reor; quorum primum feudales actiones exhibebit; alterum de judicio feudali, nimirum de modo actiones illas exercendi ſiſtet ſelectiora; ne ab Inſtitutionum limitibus videar aberrare.

CAP. I.

DE ACTIONIBUS FEUDALIBUS

§. 124. *Actiones, quæ feudi nomine Vaſallo competunt, feudo nondum conſtituto*.

ACtiones, quæ ob feudum non adhuc conſtitutum Vaſallo adverſus Dominum competunt, variæ ſunt pro ratione con-

conventionis, qua Feudi conſtitutio eſt promiſſa; ex. gr. condictio ex moribus, actio ex ſtipulatu, vel certi condictio, actio ex emto, præſcriptis verbis, actio ex teſtamento, ex donato. *II.F.26.vers. ſi facta*; & *I. F.* 4. Niell. *Diſp. Feud.* 9. *thes.* 1. Quare & perſonales actiones Vaſallo contra dominum dantur ex contractu feudali, ad præſtandum id, quod dominus promiſit, vel, ut fidem quoque reciprocam, vel inveſtituræ renovationem Vaſallo non deneget. Struv. *cap.* 16. *th.* 3. *n.* 5.

§. 125. *Quæ Vaſallo competunt, jam conſtituto Feudo.*

Feudo autem conſtituto, Vaſallo datur *utilis rei vindicatio*, tam contra extraneum poſſidentem rem feudalem, quam contra ipſum dominum; ut ab hoc vel feudum antiquum renovetur, vel novi tradatur poſſeſſio, *II. F.* 8. §. 1.; neque ſolum de feudo ipſo, ſed & de ſervitute rei feudali debita, Hattyſ. *in anal. cap.* 10. Hinc actio confeſſoria, & negatoria Vaſallo conceditur; & aliæ actiones, quæ ex Jure civili ob utile dominium competunt, uti actio communi di-

dividundo, finium regundorum, furti, Publiciana. Neque obſtat, quod actio Publiciana contra dominum non detur, §.4. *Inſt. de act.* Non enim idem eſt in Vaſallo, ac in bonæ fidei poſſeſſore. Ille cauſam a vero domino habet; hic a non domino, Stryk. *c.* 24. *q.* 18. Datur quoque Vaſallo *condictio ex lege*, ut ſi feudum fuerit evictum, aliud ejuſdem bonitatis dominus reſtituat, vel æſtimationem ejus præſtet, *II. F.* 8., *&* 25. Cujac. *Lib. I. de feud. in proëm.* (§. 84.) Vaſalli nomine & ſubvaſallum intelligimus, Roſenth. *c.* 9. §. 130., *&* *c.* 8. §. 56. Hac actione poteſt etiam Vaſallus petere, ut a ſervitiis immunis declaretur, ſi dominus tale quid fecerit, ut proprietate privari debeat, Duar. *cap.* 18. *n.* 7. Similiter Vaſallo competunt *interdicta*; modo adverſus dominum loco interdicti *unde vi*, is actione in factum experiatur, *arg. L.* 1. §. *interdictum hoc ff. de vi*, *&* *vi arm. II. F.* 2. *verb. ſalva reverentia*; niſi vis armata a domino illata fuerit, Menoch. *rem.* 1. *recup. poſſ. num* 94. Tandem poteſt ex communi Jure Vaſallus *Judicis officium* implorare, ſi nimiis ſervitiis oneretur. Giphan. *cap. ult.* Vult. *Lib.* 2.

c. 1.

c. 1. *n.*16. Quoad actionem ex jure protomiſeos, notandum eſt, hujuſmodi jus ex ſanguine tantum competere in feudis: cum jura retractus ex vicinitate in iis ceſſent, De Franch.*dec.* 17; ſicuti ceſſat prælatio in venditione rei communis. Jo. Bapt. Biloſta *Concl. Feud.* 19. Ratio dictæ prælationis eſt, ut bona in agnatione ſervarentur, (§. 109. *pag.* 398.). De Ponte *deciſ.* 11. Proinde agnatus proximior, etiam vivo alienante, poteſt illud intra annum retrahere, ſi emtor ſit remotior agnatus; & infra 30. annos, ſi venditio extraneo facta ſit, Rovit. *in rubr. Pragm. de Feud. n.*17., & juſto pretio ſoluto. Quæ procedunt nedum in Feudo ex pacto, ſed etiam hereditario: niſi tamen venditio ſub legitima ſubhaſtatione facta fuerit. Rovit. *cons.* 22., & niſi novum fuerit Feudum.

§. 126. *Actiones, quæ Domino competunt.*

Si de feudo conſtituendo agatur, Domino actio datur, cum Vaſallus ſe rem ſuam, ut feudum, a Domino recognoſcere velle promiſerit; & poſtea hoc facere recuſaverit. Anton. *Diſp.* 13. *th.* 1. Si vero

vero feudum jam ſit conſtitutum, Domino competit directa reivindicatio, qua feudum a quovis extraneo poſſeſſore revocat. *II. F.* 23. Struv. *cap.* 16. *th.* 2. *n.* 3. At contra Vaſallum dominus vindicatione uti nequit, niſi feudum finitum, vel ob feloniam ad dominum reverſum, Vaſallus detineat. Stryk. *Ex Jur. Feud. cap.* 24., *quæſt.* 8.; modo ſententia privatoria acceſſerit; nam ipſo jure Feudum haud amittitur. Tum ſi illicite alienatum ſit feudum, & rei vindicationem Dominus habebit. (Excadentias vero, quæ bonis emphytheuticis comparari, & *bona redititia Feudi* dici ſolent, ad Baronem devolutas, iterum ſine Regis aſſenſu concedi poſſe, modo is per 30. annos non detinuerit, ac in cenſum domanii adſcripſerit, adeo eſt in perſpicuis, ut nova non indigeat explicatione (§. 85.) Paris de Puteo *de redintegratione Feudor.*). Quin liberis quoque, *II.F.*26. §. *Filius*, atque agnatis Vaſalli competit actio revocatoria, qua Feudum a prædefuncto Vaſallo alienatum revocare poſſunt; *I. F.*18.; *II. F.*15., (§.106.); eaque eſt vel reivindicatio, *II. F.*83., vel condictio ex lege, *II.F.*55. Duar. *c.*19. *n.*5.; Goed. *Diſp.Feud.*10.*th.*3. Inſuper ob ſervitia

tia præſtanda Domino non competit vindicatio, ſed actio perſonalis ex contractu feudali, vel, ut quidam putant, actio præſcriptis verbis, ob concurrentem innominatum contractum, *do, ut facias*. Ob ſervitia autem non præſtita revocari feudum poteſt condictione cauſſa data, cauſſa non ſecuta *I. F.* 21. Pertinent quoque domino ratione feudi actiones ex interdictis retinendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis: Et quidem retinendæ, ſi vel a Vaſallo in quaſi poſſeſſione directi dominii turbetur, vel ab extraneo in receptione ſervitiorum impediatur; cum utili actione ex interdicto *uti poſſidetis* agere poſſit: recuperandæ vero poſſeſſionis, ſi vel Dominum Vaſallus amplius recognoſcere nolit, ac ſervitia exigenti reſtiterit; vel alius per vim ſervitia, vel penſiones a Vaſallo exegerit. Quod ſi Vaſallus neget ſe Vaſallum eſſe, præjudicialem actionem non dari, ait Struv. *cap.* 16. *th.*2. *n.6*. Sed hoc de directa actione affirmaverim, quia in Vaſalli perſonam nullum jus Dominus habet; negaverim nihilo ſecius de utili; argumento a liberto ducto. Ludwell. *pag.* 415. Tandem domino contra heredem Vaſalli, ad feudi privationem, ob feloniam a Vaſal-

lo commiſſam, nulla competit actio revocatoria; quia pœnales actiones ad heredem non tranſeunt, niſi lite cum defuncto conteſtata, *L. un. C. de delict. defunct. in quant. hered. ten.* §. *non autem Inſt. de perp., & temp.* Clar. §. *feud. qu.* 65., neque competit heredi domini contra Vaſallum; quia injuriarum actio morte extinguitur, *L. eum qui*. §. *qui injuriar. ff. ſi quis caution.* Illud quæri ſolet, an actiones, quæ domino dantur, & Vaſallo ad feudum conſequendum, ſint bonæ fidei, an ſtricti juris? Verum id alibi perſequuti ſumus (§.7.).

C A P. II.

DE FEUDALI JUDICIO.

§. 127. *Judex competens*.

TAndem Feudale Judicium declaremus, oportet; & primo Judicem competentem. Sicuti autem civili Jure, *tot. tit. C. ne quis in ſua cauſ. jud.*, ita Feudali nemo ſibi jus dicere poteſt, ſed per Judicem competentem lis dirimi debet. *II. F.* 15. 16. & 55., qui tamen pro

cau-

cauſæ ratione diverſus eſt. Hotoman. *diſp. feud. c.* 42. Eguinar. Bar. *IV.* 3. Et cum inter Vaſallos contentio eſt de feudo regali, ſupremus Princeps, a quo illi inveſtiti ſunt, eſt Judex competens, Clar. *qu.* 90. Cum autem de non regali feudo agitur, diſtinguendum eſt primo, quod ſi controverſia ſit inter Valvaſores, Dominus feudi Judex eſt, *II. F.* 53. §. 2., *&* *tit.* 55. §. *fin.* Nec refragatur *I. F.* 18.; nam eo in loco non eſt ſermo de lite inter convaſallos, ſed inter Vaſallum, & ſubvaſallum; adeoque inter dominum, & Vaſallum: Nec *II. F.* 34. *princ.*, nam ibi de ſpecie agitur, cum dominus ſuſpectus eſt. Sed hæc, quæ diximus ceſſant, ſi vel conſuetudine regionis, vel pacto inveſtituræ aliud ſit receptum, *II. F,* 18., *&* 24., puta ut vel ordinarius loci Judex, vel alius Magiſtratus ad id conſtitutus, de cauſis feudalibus, excluſo domino, cognoſcere debeat. Deinde ſi lis ſit inter Vaſallum, & Feudi dominum, apud Pares ejuſdem Curiæ finienda erit (§. 74.). *II. F.* 55., non apud dominum; licet ſuperiorem hic non agnoſcat; cum ſuperior inferiori ſe ſubjicere poſſit, *L.* 14. *ff. de Juriſdict.* *L.* 1. *ff. de Judic.*, & licet ex li-

litigantibus alteruter Clericus ſit, Pares Laici; Clar. *d. qu.* 90. *n.* 4. Quod ſi non de re feudali, ſed de re non feudali quæſtio ſuboriatur, (ex. gr. de feudo promiſso, ſed non conſtituto; vel ſi quis ſe Vaſallum eſſe neget; vel inter Vaſallos diverſorum dominorum lis ſit. Struv. *th.* 7. *n.* 1.), ad ordinariam ordinarii Judicis jurisdictionem res devolvitur. Vult. *c.* 2. *n.*14.. Eſt & Judicis ordinarii cognitio, ſi nulli ſint Pares Curiæ; aut ſi ſint, verum propter aliorum defectum, ad teſtimonium neceſſario producuntur; idque ne ſimul & Judices, & teſtes ſint, contra *c. dilect. X de teſt.* Corvin. *I. Feud. IV.* 3. An Vaſalli litigantes arbitrum eligere poſſunt? Affirmatur ſane, ſi cauſa ad ordinarium Judicem ſpectet: ſecus in cauſa feudali; quæ cum ad Feudi dominum ſpectet, huic compromittendo Vaſallus præjudicare non poteſt. Et quamquam Struvius *c.* 6. *th.* 8. hanc quoque compromitti poſse ſtatuat: tamen textus ab eo allegati, *II. F.* 15., & 34., de cauſa non ad dominum Feudi, ſed ad ordinarium Judicem ſpectante, agere videntur. Apud nos generaliter feudales controverſiæ ſine Regis aſſenſu nequeunt compromitti (§. 97. *pag.* 346.). §.128.

§. 128. *Ex noſtro Jure Municipali.*

Hæc omnia & in Regno noſtro invaluerunt, cum Langobardorum Jure Feudatarii vivebant. Eadem Nortmanniæ deinde moribus immixta legere eſt in Friderici Conſtitutione *ut univerſis*; tum in Conſt. *ſtatuimus ut M. Curiæ noſtræ*, Conſt. *Magnæ Curiæ*, Conſt. *Juſtitiarii nomen*, Conſt. *Præſides*, Capit. R. Roberti *injunxit*, necnon *Ritu* 50. Joannæ II. & Caroli II. Capitulo *item ſtatuimus*, *quod ſi Comites*, *Barones &c.* Sane ſub Nortmannis, Suevis, atque Andegavenſibus ad Aragonenſes uſque, cognitio de feudalibus cauſſis, quoad Feuda quaternata Magiſtro Juſtitiario; & Juſtitiario Provinciæ, ſi de Feudis non quaternatis ageretur, delata fuit, Parium quoque votis accedentibus: denegata vero aliis inferioris ſubſellii Judicibus, Conſt. Guilel. I. *Locorum Bajuli*: idque ſive inter duos Vaſallos, ſive inter Baronem, & ſuum Vaſallum agitaretur contentio. Qua de re Friderici I. Conſt. *in II. F.* 55. §. *præterea inter duos*, & Alexandri III. Decretalis *in c.* 5. *de judic.*, *& c.7. de for. compet.*, quibus Seniori in Vaſal-

 los,

los, ac Subvaſallos conceditur juriſdictio, plane abrogatæ ſunt. Et Freccia *de ſubfeud. Lib. II. auct.7. n.* 2., *Baronem*, inquit, *in Regno non cognoſcere de feudis, quamvis ipſe habeat facultatem conferendi.* V. Capyc. *in Inveſt.* §. *feudorum judicia.* Igitur ſola M. Curia de feudis quaternatis cognoſcebat *per d. Rit.* 50., *per Conſt. M. C. noſtræ*, & *per Conſt. Juſtitiarii*, per quam corrigebatur Conſtitutio *ut univerſis*, cujus vigore quæſtiones feudales apud Pares decidebantur, ſicut de Jure communi Feudorum. Bilocta *concl. feud.* 21. *num.* 2. de Franch. *deciſ.* 116., *Pragm.* 13., & 63. *de o. P. Cæſar.*, Afflict. *dec.* 396. Verum Alphonſus I. Aragonenſis de quaternatis feudis S. Conſilium cognoſcere ſanxit *Pragm.* 3. §. 2. *de off. S. R. C.*, quod vice Regia ferre ſententias, & Curiæ Parium locum occupare videtur. Et quamvis M. Curia hodie præambuli decretum in feudalibus interponat; non tamen de feudalibus cauſis cognoſcit, ſed de ſummario potius feudi, ut ajunt, poſſeſſorio; neque rationes expendit, an cui jus competat ſuccedendi. Si vero quid Fiſci interſit, Regia Camera Summariæ Judex erit ordinarius; modo Fiſcus actor ſit

vel

vel reus. Nam ſi de futura ſucceſſione, adoha, relevio, vel alia quavis re pertractetur, S. Conſilium quoque judicabit. *Pragm.62. de off. P. Cæſar.* Petra *ad Rit.* 50. Tapia *ad d. Conſt. ut univerſis*. De cauſſis Feudatariorum criminalibus M. Curia cognoſcere ſolet; Affl.ict. *in d. Conſt.* Verum hanc ſpartam de noſtris Magiſtratibus, in Juris Regni Elementis, quoad ejus fieri poteſt, exornare conatus fui.

§. 129. *De modo actiones Feudi nomine competentes, proponendi, & exercendi.*

Judicii ordo idem in feudalibus ſervandus, qui alias in civilibus cauſis, niſi quidquam ſpeciale in Feudali Jure diſpoſitum ſit. Vaſallus ergo ſine venia dominum in jus vocare non poteſt, exemplo liberti, §. 12. *Inſt. de act.* Sed vide Clarum §. *feudum qu.* 25. *nu.* 1. In cauſis feudalibus trina citatio neceſſaria eſt, certo temporis intervallo, ſeptem, vel decem dierum, diſtincta, *II. F.* 22., & 24., non ut Jure Civili, una peremptoria citatio, *L.* 53. §. 1. *ff. de re jud.* Reus citatus venire debet, *II. F.* 15., &

 26.,

26., atque exceptiones dilatorias, ſi quas habeat, proponere. Tum lis conteſtari debet: ac jusjurandum calumniæ vitandæ præſtari, ſi inter duos Vaſallos de feudo contentio ſit; non vero ſi inter Dominum, ac Vaſallum, *I. F.*33.: mutuam enim reverentiam, fidemque & ſine juramento ſibi invicem Vaſallus & dominus debent, *II. F. 6.* Haneton. *Lib. IV. cap.* 3. Porro ob rei contumaciam actor in rei petitæ, ſi actionem in rem propoſuerit, vel ſi actionem perſonalem, in bonorum ejuſdem poſſeſſionem pro declarati debiti menſura, ex primo, aut poſt annum ex ſecundo decreto, mittitur, *II. F.* 22. Contumacia vero purgari poteſt, & peremptoriæ exceptiones a reo objici, uti & ab actore replicationes.

§. 130. *Probationes in cauſis feudalibus*.

Ubi ad probationes ventum eſt, actor ſuam intentionem, exceptionem ſuam reus legitime probare debet. *II. F.* 41. Probandi autem onus evitabit, qui præſumptione aliqua juvatur, uti ſi afferat Feudum antiquum eſſe, *II. F.*11.15., *&* 41., vel

vel proprium, *II.F.*2. At circa probationes in Jure Feudorum nonnulla occurrunt ſingularia. Primo, quod ad Inveſtituram Feudi novi ſæcularis probandam recipi non poſſunt, niſi Pares Curiæ, ſaltem duo; vel breve teſtatum, h. e. publicum Inſtrumentum a Paribus ſubſcriptum, *II. F.* 2. & 32: tametſi alii teſtes omni exceptione majores, ſi Pares deſint, admittantur. Ad probandam vero novam Feudi Eccleſiaſtici inveſtituram, vel veterem ſæcularis, tam Pares, quam extranei teſtes idonei ſunt, *I. F.* 16. Secundo felonia quinque teſtibus, qui fide non laborant, probatur, *II. F.* 57. Tertio, maſculi tantum teſtes idonei ſunt, *II.F.*32.Quarto, actore non probante, reus non abſolvitur, ſed juramento ſe purgare debet. *II. F.* 4., & 39. Is vero, cui juramentum defertur, vel jurat ipſe una cum duodecim Sacramentalibus, qui ſimiliter jurent, ſe credere id verum eſſe, quod litigator juravit, vel ſi jurare nolit, jusjurandum ei a parte delatum (nam delatum a Judice neceſſario præſtandum eſt, *II. F.* 33.), adverſario refert: qui ſi jurare recuſaverit tamquam convictus condemnabitur. *Sacramentales* autem ita dicti ſunt a ſacramen-

to

to, ſeu juramento: iique tum demum adhibebantur, cum teſtes nulli extabant, *I. F.* 4. 10., & 26. Sic apud Pariſios pater quidam, teſte Gregorio Turonenſe, pro filiæ pudicitia juravit. Forma hujus jurisjurandi exponitur in LL. Alemann., *tit. 6. de Juratoribus*. V. Hotoman. *de verbis feudalib. v. Sacramentales*; & Theodorum Regnerum de Baſſen *de Jurejurando Veterum*. Cum itaque multi amici, aut propinqui ad jurandum adhibebantur; hinc in media ætate ſæpius formula occurit, *jurare manu ſeptima*, *decima &c.* Struv. *Hiſt. Jur. c. 9.* §. 10. Gudelin. *par. 6. c. 4.* Hotom. *diſp. feud. c.* 43. Quinto ſi probationes deficiant, admittitur exploratio per duellum, flammam, vel ferrum candens, aut ſimile quid, *arg. II. F. 27. & 39.*, ut puta per crucem, Euchariſtiam, ſortes, Hotom. *diſp. feud. c.* 44. Boëhmer. *tit. Decr. de ſortileg.* Bingham. *O. E. XVI.* 5. Olaus Magnus *de Gentib. ſeptemtrional. IV.* 2. Ant. Matth. *Analector. to.* 2. Freſn. *v. Campio*. In Regno ab adventu Langobardorum iidem mores increbuere. Hugo Falcand. *in Hiſt. Sic.* Tollit vero Fridericus II. Conſt. *monomachiam*, Conſt. *in cauſa*, Conſt. *leges*, Conſt. *pro-*

ſe-

ſequentes: & antea Rex Theodoricus, Caſſiodor. *Lib. III. Var. ep.* 24. Igitur & Sacramentalium admiſſio ob perjurii periculum, & exploratio iſta ob incertitudinem, ac ſuperſtitionem deſuevit. Vaſqu. 1. *Ill. controv. c.*11.: ac generatim probationes maxima ex parte ad commune Jus ſunt redactæ.

§. 131. *Sententia definitiva, ejuſque exequutio.*

Verum age trahamus vela, dum littus prope eſt. In ſententia definitiva ferenda inſpiciatur oportet inveſtitura, & quidem antiquior; niſi aliud voluntatis conjectura ſuadeat: tum leges, ac loci conſuetudines ſpectandæ ſunt (§. 29.) Exequi vero ſententiam poſſunt ipſe Dominus, & Pares, mandando, ſcilicet reo, ut ſub pœna amiſſionis Feudi, ſententiæ pareat; vel etiam immiſſionem in bona decernendo. At realiter in poſſeſſionem mittit Judex ordinarius, Roſenth. *c.*12. *concl. fin.* Ad feudi Dominum condemnatum beneficium pertinet, quod *competentiæ* dicitur, *II. F.* 58. Exequutio autem ſententiæ æris alieni nomine, in Feudum fieri non poteſt, niſi do-

dominus conſentiat: poteſt fieri in fructus: At domini novus conſenſus haud requiritur, ſi ſemel oppignorationi Feudi conſenſerit. Inſuper Judex appellationis ipſe exequutioni mandat ſententiam ſuam, qua ſententiam Judicis, a quo appellatur, in totum, vel pro parte revocavit, aut reformavit, *L. addictos*, & *L. præcipimus C. de appellat*; verum ad judicem, a quo appellatum eſt, exequendam remittit ſententiam, quam confirmavit. *Auth. ei qui C. de tempor. appell.* Ceterum tam in exequutione, quam in gravaminibus adverſus ſententiam, & generaliter in ordine judiciali, Jura noſtra, quæ in aliis cauſis obtinent, quæque in *Jure Regni* declaravimus, in feudalibus etiam ſarcta tecta ſervanda ſunt. *Iudicia enim anchoræ legum ſunt, ut leges Reipublicæ*, uti perbelle Franc. Baconius *de Juſt. univerſali, aphor.73.*

F I N I S.

527255

Adm. Rev. U. Jur. D. D. Carminus Fimianus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſ. revideat Autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum, & in ſcriptis referat. Dat. Neap. die 18. *menſis Martii* 1778.

MATTHAEUS JAN. ARCH. CARTH. C. M.

S. R. M.

NIcolai Vallettæ *Inſtitutiones Juris Feudalis*, tuo accepto imperio, Rex Auguſtiſſime, ſedulo percurri. In iis Cl. vir collega meus ſelectiorem juriſprudentiam feudalem, tot difficultatibus obſitam, interiori antiquitatum medii ævi præſidio enucleat, ejus fundamenta paſſim detegit, & ſingula ſuis apte ſedibus digeſta velut in nucleo in tironum gratiam exhibet, nulla ut re ipſorum commodo defuiſſe videatur. Nihil equidem in iis recenſendis offendi, quod ſupremis Regni juribus, moribuſve ullam inferat labem; quin eximiam erga Principis majeſtatem, regiaſque ſanctiones religionem præſeferunt univerſa. Quare opuſculi utilitate publica confecti editionem publico bono maturandam cenſeo. Neap. VII. Idus Septemb. MDCCLXXIX.

Numini Majeſtatique Tuæ.

Devinctiſs. obſequentiſs. addictiſs.
Carminus Fimianus.

Die 15. menſis Novembris 1778. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuae Regalis Majeſtatis ſub die prima currentis menſis, & anni, ac relatione Adm. Rev. U. J. D. D. Carmini Fimiani, de commiſſione Rever. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clare providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris: Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum.

SALAMONIUS. AVENA.

PATRITIUS. VIDIT FISCUS R. C.

Illuſtris Marchio Citus Praef. S. R. C. & caeteri Illuſtres Aularum Praefecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Reg.

Carulli Athanaſius.

Admodum Rev. Dom. D. Felix Cappelli S. Theol. Profeſſor revideat & in ſcriptis referat. Neap. die 1. Julii 1779.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EXCELLENT. ET REVERENDISS. PRINCEPS

NEmo unus adhuc, quod ſciam, noſtratum *Juris Feudalis* εἰσαγωγὴν, ſive *Inſtitutiones* vocari malint, procudere ſtuduit, exceptis iis leguleis, quos præteritorum protulit temporum incompta, & implexa barbaries; ſed iſti utinam illuc abeant, unde olim prodire non puduit. Quam ob rem ingens jam *Nicolao Vallettæ*, Legum Romanarum in Regia Academia Anteceſſori, parta laus eſt; quippe qui noſtratum primus omnium, ſi mens mihi non læva fuerit, *Feudalis Sapientiæ* Inſtitutiones, muſis non elaboratas iniquis, in vulgus edere contenderit. In eis equidem non modo nihil ab fide recta, aut bonis moribus alienum reperi; ſed & ſcriptoris πολυμαθειαν, & quod caput eſt, judicium ſupra juvenilem ætatem ſuſpexi: quo fit, ut *Michaeli Morellio*, integræ fidei Typographo, hujus operis edendi poteſtatem fieri jus faſque arbitrer. Neapoli Ex Ædib. Sinenſ. Kal. Sextil. an. CIƆIƆCCLXXIX.

TUAE EXCELLENTIAE REVERENDISS.

Devotiſſimus
Felix Cappellus

Regiae Scientiarum, & Antiquitatum Academiae Socius.

Attenta relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Datum Neapoli die 4. Iulii 1778.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

ERRATA		CORRIGE
Pag. 125.	*conſilium*	*ecnſilium*
241.	*cap.*	*cap.7.*
252.	*F.* 4. *ff.*	*L.* 4. *ff.*
271.	ttibuit	tribuit.
293.	nullamque	nullaque
321.	debetur	daretur
329.	Arque	Atque
343.	negativa ſententia	affirmativa ſententia.
364.	ilie	ille
367.	& filii, ea ſeudi	& filii, & ſeudi.

Digitized by Google

Digitized by Google

527255